An. et vol. CXI | 1 Novembris 2019 | N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

CONSISTORIA

Consistorium Ordinarium Publicum: Titulorum assignatio.*

Pubblichiamo di seguito l'elenco del Titolo assegnato dal Santo Padre Francesco a ciascuno dei nuovi Cardinali nel momento della creazione nel Concistoro Ordinario Pubblico di questo pomeriggio:

CARDINALE	TITOLO / DIACONIA	
Card. Miguel Ángel AYUSO GUIXOT, M.C.C.J.	Diaconia	San Girolamo della Carità a Via Giulia
Card. José Tolentino CALAÇA DE MENDONÇA	Diaconia	Santi Domenico e Sisto
Card. Ignatius SUHARYO HARDJOATMODJO	Titolo	Spirito Santo alla Ferratella
Card. Juan de la Caridad GARCÍA RODRÍGUEZ	Titolo	Santi Aquila e Priscilla
Card. Fridolin AMBONGO BESUNGU, O.F.M. Cap.	Titolo	San Gabriele Arcangelo all'Acqua Traversa
Card. Jean-Claude HÖLLERICH, S.I.	Titolo	San Giovanni Crisostomo a Monte Sacro Alto
Card. Álvaro Leonel RAMAZZINI IMERI	Titolo	San Giovanni Evangelista a Spinaceto
Card. Matteo Maria ZUPPI	Titolo	Sant'Egidio
Card. Cristóbal LÓPEZ ROMERO, S.D.B.	Titolo	San Leone I
Card. Michael CZERNY, S.I.	Diaconia	San Michele Arcangelo
Card. Michael Louis FITZGERALD, M. Afr.	Diaconia	Santa Maria in Portico
Card. Sigitas TAMKEVIČIUS, S.I.	Titolo	Sant'Angela Merici
Card. Eugenio DAL CORSO, P.S.D.P.	Titolo	Sant'Anastasia

* Die 5 Octobris 2019.

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus beatae Margaritae Bays Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Summe, gloriose Deus, illumina tenebras cordis mei et da mihi fidem rectam, spem certam et caritatem perfectam, sensum et cognitionem, Domine, ut faciam tuum sanctum et verax mandatum. Amen (S. Franciscus Assisiensis, *Oratio ante Crucifixum*).

Sancti Francisci sequens doctrinam, beata Margarita Bays cognovit et in se recepit Dei voluntatem, qui eam vocabat ad sibi humilitate simplicitateque serviendum.

Die VIII mensis Septembris anno MDCCCXV nata est in parvo pago La Pierraz intra paroeciam Siviriez in regione Friburgensi Helvetiae, altera ex septem liberis Iosephi Bays et Mariae Iosephinae Morel, modici agricolae probique christiani. Scholam oppidi Chavennes-les-Fortes adiit, ut legere ac scribere disceret. Ea autem puella ad precationem inclinabatur. Compluries eveniebat ut posthabitis iocis ac sociis se abdebat ut intime Deum conveniret, sub Virginis Mariae contuitu, a se cognita et supplicata apud sanctuaria Beatae Mariae Virginis a Silva vel Eremitarum. Octo annos nata Confirmationis sacramentum recepit et undecimum annum agens primum sacram Eucharistiam in paroecia Siviriez suscepit. Quindecim fere annos nata vestificae opus agere coepit, quod totam per vitam fecit. Beata Margarita noluit se ut religiosam consecrare, sed statuit se innuptam manere totamque se familiae dicare atque eodem tempore suae paroeciae operibus, ubi tot parvulos ad catechismum cognoscendum atque precandum perduxit. Intra familiam primum parentes ac deinde fratres ac sorores curavit. Eius erat domestica opera expedire, sed altius tranquillitatem ac veram receptionem admittebat. Praeter haec aegros ac morituros invisebat. Catechismum et christianos mores iuvenes puellas docebat, quae matrimonio ac partui

se comparabant, missionum opera ostendebat, catholica scripta evulganda curabat, parvulos catechismum docebat. Ex consuetudine cotidie sanctum rosarium recitabat, adventicias personas invitans ut se precationi sociarent. Sancta Missa cotidiana "summum erat diei". Die dominico et festis diebus in templo manebat coram Sanctissimo Sacramento atque dolorosam viam Domini decurrebat per *Viam Crucis*. Quem diem exigebat Margarita, ad assiduam utique Dei praesentiam, sed a rebus et circumstantiis non abducebatur. Dicere omnibusque ministrare verba sine querela et eodem tempore dulci illa humilique vi monere unumquemque studebat, qui, sicut ipsa, cotidie Dominum conveniebat. Die XXII mensis Februarii anno MDCCCLX Margarita Tertium Ordinem Franciscalem est ingressa, in se sancti Francisci recipiens doctrinam: "Omnia bona Domino Deo altissimo et summo reddamus et omnia bona ipsius esse cognoscamus et de omnibus ei gratias referamus, a quo bona cuncta procedunt" (sanctus Franciscus Assisiensis, Regula non bullata, XVII), vel illud utique: "Deus meus et Meum Totum", ad cotidianam vitam applicandum. Familiaris animus repente in peius est conversus, cum eodem anno maximus natu frater, qui vilicationem moderabatur, famulam domesticam in matrimonium duxit, quae statim dominae officium sumpsit. Beata etiam istud quiete suscepit. Quindecim per subsequentes annos improbis inurbanisque moribus uxoris fratris silentio ac patientia respondit, quae didicerat coram Crucifixo et genu nixa coram Sanctissimo Sacramento. Suis agendi modis effecit ut cognata resipisceret quae sivit ut, gravi morbo correpta, mansueta curaretur usque ad mortem. Cum anno MDCCCLIII propter cancrum in intestinis secta est, Virginem Mariam supplicavit ut sanaretur, dum tamen se praeberet ad dolendum, sed aliis maeroribus qui efficerent ut propius Iesu passionem communicaret. Die VIII mensis Decembris anno MDCCCLIV plane est exaudita, eodem die quo beatus Pius IX Immaculatae Conceptionis dogma Romae proclamavit. Ex illo die arcanus morbus singulis Veneris diebus hora nona in extasim eam constituebat atque tota Hebdomada Sancta, isque efficeret ut ex corpore ac spiritu Iesu passionem experiretur. In corpore quinque crucifixionis stigmata apparuerunt, quae magnum cruciatum afferebant, quem prudenter curiosos celabat. Episcopus Friburgensis Stephanus Marilly medicos consulere voluit qui exstases ac stigmata vestigarent, et ii officiose declaraverunt mysticae originis esse hos eventus. Postremis vitae annis dolor vehementior factus est, et beata Margarita omnia sine lamentis tulit, totam Dei se tradens

voluntati. Quemadmodum desiderabat, in sollemnitate Sacratissimi Cordis Iesu die XXVII mensis Iunii anno MDCCCLXXIX obiit. Subsequenti die XXX funera sunt facta, compluribus sacerdotibus ac magna fidelium turba participantibus; in coemeterio Siviriez est sepulta; postea in paroeciale templum est translata, ubi in cappella sancti Ioseph est posita.

Die XXIX mensis Octobris anno MCMXCV sanctus Ioannes Paulus II in Beatorum catalogum eam rettulit. Canonizationis causa puellae eventus exhibitus est, quae inexplicabiliter vixit cum ponderosa rota automati tractorii tota premeretur. Absolutis iuridicialibus rebus, Positio est comparata. Die XII mensis Aprilis anno MMXVIII medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum iudicaverunt hunc eventum ad scientiam inexplicabilem atque theologi Consultores in Congressione peculiari die XI mensis Octobris anno MMXVIII hunc tribuerunt intercessioni beatae Margaritae Bays. Patres Cardinales et Episcopi in sessione ordinaria coadunati die VIII mensis Ianuarii anno MMXIX eundem putarunt verum miraculum et Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo ederet. Tandem in Consistorio die I mensis Iulii anno MMXIX statuimus ut canonizationis ritus Romae die XIII mensis Octobris eiusdem anni celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Henricum Newman, Iosephinam Vannini, Mariam Teresiam Chiramel Mankidiyan, Dulcem Lopes Pontes et Margaritam Bays Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Huius insignis mulieris, in sanctorum sanctarumque catalogum relatae, hominibus, qui in discrimine versantur, certa exempla demonstrantur atque ipsa, quae iam vivens tot tantorumque operum praeclara edidit documenta, magnopere honoratur, unde complures de eius rebus bene gestis sumant incitamentum et ad christianam pietatem firmiter tenendam invitamentum.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 476.098

II

Quibus beato Ioanni Henrico Newman Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Ex umbris et imaginibus in veritatem».

Verba haec inscribi suo in sepulcro beatus Ioannes Henricus Newman voluit, ut posteri memoria teneant veritatem laboriose in vita obtineri, inter umbras et imagines, absque lucida perspicuitate. "Veritatis" inquisitio primum eum perduxit ut pastorem ad Communitati Anglicanae inserviendum, post ad fidem catholicam amplectendam et exinde, veluti si ad Dominum deditio perficeretur, ad presbyteralem ordinationem. Ultra de vocatione inquirens, Oratorium Birmingamiae in Anglia condidit ad sancti Philippi Neri mentem. Divinae Providentiae confidens et Dei voluntati prorsus traditus, ut fulgidum sanctitatis exemplar splendet, usque quaesitae, inventae et rursus quaesitae, sancti Augustini more.

Londinii die XXI mensis Februarii anno MDCCCI ex Anglicana familia natus est: primus fuit ex sex liberis Ioannis Newman, argentarii, et Iacobae Fourdrinier. Ab anno MDCCCVIII ad annum MDCCCXVI Great Ealing School adiit, ubi probe est institutus ipseque ob intellectus dotes eminuit. Anno MDCCCXVII Trinitatis Collegium Oxoniense est ingressus, ubi baccalaureatum de Artibus est adeptus. Die XIII mensis Iunii anno MDCCCXXIV diaconus Anglicanus est renuntiatus et coadiutor factus paroeciae Sancti Clementis Oxoniensis. Die XXIX mensis Maii anno MDCCCXXV est auctus presbyter Anglicanus. Ab anno MDCCCXXVI ad annum MDCCCXXXII fuit tutor Collegii v.d. Oriel, ubi compluribus universitatis alumnis instituendis operam dedit. Die XIV mensis Martii anno MDCCCXXVIII templi universitatis Sanctae Mariae nominatus est parochus, ubi amplum pastorale opus et praedicationem egit, ex quibus magnum nomen est consecutus. Iter Romam factum pro eius progressu spirituali magni fuit momenti; ibi enim convenit sacerdotem Nicolaum Wiseman, futurum catholicum Archiepiscopum Vestmonasterientem, quocum amicitiam contraxit. Aequabiliter illis annis quaedam ex praestantissimis operibus scripsit, in quibus plenam Divinae Providentiae deditionem ostendit, quae ei postea significavit ac finxit eius propriam missionem. Ortus est eodem tempore Oxoniensis Motus, qui in beato Ioanne Henrico

Newman praeclarum sodalem repperit. Die IX mensis Aprilis anno MDCCCXLII una cum nonnullis amicis in oppidum Littlemore secessit ut eximium opus scriberet quod est *Essay development of christian doctrine*, ex quo factum est ut ad catholicam Ecclesiam transiret. Anno MDCCCXLVII voluit esse particeps Oratorii sancti Philippi Neri. Hac de causa Romae Ecclesiam Novam illiusque communitatis sacerdotes frequentavit. Presbyter ordinatus est die XXX mensis Maii anno MDCCCXLVII, illa occasione a beato Pio IX magnopere confirmatus. Cum studiose Oratorianus fieri vellet, Beatus petiit a Pontifice ut Oratorium Birminghamiense condere posset, unde Oratorii Romani constitutiones illius loci necessitatibus aptaret. In loco Edgbaston, in Birminghamiensi suburbio, anno MDCCCXLVII, una cum sex sociis novitiatum incohavit. Anno MDCCCLIV pater Ioannes Henricus Newman rector renuntiatus est Universitatis Catholicae Dublinensis, ubi quattuor annos docuit. Anno MDCCCLXIV opus *Apologia pro vita sua* evulgavit et anno MDCCCLXXVIII Trinitatis Collegium Oxoniense eum elegit Primum Honorarium Sodalem. In veritatem et Ecclesiam propter amorem complures improbationes et inimicitias sibi conciliavit, quas fortiter et leniter sustinuit. Die XII mensis Maii anno MDCCCLXXIX Summus Pontifex Leo XIII eum creavit Cardinalem titulo S. Georgii in Velabro; eius insignis sententia est: *cor ad cor loquitur* (sancti Francisci Salesii). Suum iter est prosecutus, orationi incumbens et fidei theologiaeque inserviens. Paulo post novissimam missam publice celebratam die XI mensis Augusti anno MDCCCXC suo in cubiculo Oratorii oppidi Edgbastone pie obiit. Suo in sepulcro inscribi voluit: *Ex umbris et imaginibus in Veritatem*. Summus Pontifex Benedictus XVI die XIX mensis Septembris anno MMX Ioannem Henricum Newman beatum renuntiavit, cum celebrationi in loco Cofton Park Birminghamiensi in urbe praesideret. Canonizationis causa praesumpta mira sanatio examinata est alicuius matrisfamilias Chicagiensis. Diocesana inquisitio a die XXII mensis Iunii ad XXVI mensis Octobris anno MMXV habita est.

Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum in Sessione diei I mensis Martii anno MMXVIII hanc sanationem ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Consultores Theologi, in Congressione peculiari die XI mensis Octobris anno MMXVIII coadunati, hanc sanationem intercessioni Beati tribuerunt, idemque Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione ordinaria die XV mensis Ianuarii anno MMXIX coadunati existimarunt. Nos Ipsi die XII mensis Februarii eiusdem anni facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo ederet, et in Consistorio die I mensis Iulii anno MMXIX statuimus ut canonizatio beati Ioannis Henrici Newman die XIII mensis Octobris eodem anno celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Henricum Newman, Iosephinam Vannini, Mariam Teresiam Chiramel Mankidiyan, Dulcem Lopes Pontes et Margaritam Bays Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui eximias dedit religiosae pietatis atque intrepidae fidei testificationes, cum suam vitam impenderet praesertim in veritatem inveniendam et in salutarem Evangelii nuntium demonstrandum. Quae omnia operosus, studiosus, actuosus, assidua precatione sustentatus, usque egit. Exoptamus igitur ut eximia eius exempla magno sint hominibus qui nunc sunt emolumento.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 505.767

III

Quibus beatae Mariae Teresiae Chiramel Mankidiyan Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Vos autem Dominus abundare et superabundare faciat caritate in invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vos; ad confirmanda corda vestra sine querela» (*1 Thess* 3, 12-13).

Quod suasit Apostolus gentium, id patravit etiam Maria Teresia Chiramel Mankidiyan, quae cum intellexisset amorem ad Christi exemplum principem obtinere locum, proximum amavit nullo sub religionis ac stirpis obtentu, vera agens Domini discipula. Eo quod funditus totam Christo vitam inde a pueritia dicavit potissimumque pauperes ac desertos dilexit, id peculiarem in modum ex consororum salutatione die VII mensis Iunii anno MCMXXVI, scilicet pridie quam excessit e vita, exstat. Illis prope se illacrimantibus verba haec fecit: "Filiae meae, cur patimini corda vestra turbari, veluti homines modicae fidei? Scitis e morbo me haud evasuram. Si caelestis Sponsi est voluntas ut vos tam mature relinquam, eius invitationem acceptura, id fiat! Nostra Congregatio in cunabulis est. Non est obliviscendum vestrum esse, huius Congregationis sororum eam tueri atque efficere ut crescat. Mutuo vos diligite, adiuvate".

Beata die XXVI mensis Aprilis anno MDCCCLXXVI in oppido Puthenchira Indiae, in hodierna eparchia syro-malabarensi Irinialakudensi, nata est et baptizata sub nomine Teresiae. Prima institutione apud pagi scholam recepta, mature suum in Domini amorem per magnam sui abnegationem ac precationem ostendit. A prima inde pueritia pluries in hebdomada ieiunabat et cotidie sanctum rosarium recitabat. Novem tantummodo annos nata ad eucharisticum convivium accessit et eius cor Dei amore flagrabat, ita ut vitam solitariam ducere cuperet, sed obstiterunt familiares. Ferventi mystica vita dives, a Domino postulavit ut spiritalis moderator sibi daretur ad auxilium Dei voluntatem perspiciendi. Venerabilem Servum Dei in hoc munere ac praecipuo officio constitutum patrem Iosephum Vithayathil conveniens, statuit per novam apostolicam operam pro cunctis hominibus se Domino tradere. Flagrans in Dominum amor effecit ut beatae altus de-

ferretur sensus et miseratio pro hominibus, potissimum pro familia. Sic animose prudentiaque se huic rei dedidit, prorsus conscia difficultatum ibi exstantium, praesertim quod ad sua natalia loca attinebat. Omnium domos invisebat, omni stirpis ac religionis discrimine remoto, spiritus corporisque aegrotorum, moribundorum necessitatibus subveniendo, oppressis, desertis, reiectis inserviendo. Ut familias iuvaret scholas quoque constituit.

Vocationis discretio, dirigentibus spiritali moderatore et Episcopo Trichuriensi excellentissimo Domino Ioanne Menachery, effecit ut una cum amicarum manipulo Congregationem a Sacra Familia conderet. Die XIV mensis Maii anno MCMXIV Episcopus canonice erexit novam Communitatem, cuius nominavit beatam Mariam Teresiam antistitam. Congregationis novarum filiarum vita primo pervasa est firmo proposito communiter precandi, in secessu quidem et clausura. Deinde necessitatem animadvertit sese ad apostolicam actionem tradendi, in spiritale familiarum augmentum conversam. Eius sanctae vitae et apostolatus fama complures puellas in Congregationem allexit, quae mox numero aucta est et floruit. Omnium socialium ordinum personae suis pro difficultatibus ac quaestionibus adire solebant beatam. Multum de eius precationis virtute confidebat populus, quam numquam alere destitit, quamque largiter eucharistico Pabulo sustentabat. Licet haud firma esset valetudine, ad Christum eos deferre non destitit qui ad eam fidenter accedebant. Propter diabetem vulnus in crure exitiale factum est. Obiit enim, ab omnibus defleta, die VIII mensis Iunii anno MCMXXVI. In sacello quod dicitur Holy Family Convent oppidi Kuyzhikkattussery in Kerala est sepulta. Eius funera flens magna multitudo participavit.

Sanctitatis fama Mariae Teresiae mature pervulgata est et multi homines eius sepulcrum invisere coeperunt, eius intercessionem pro suarum familiarum necessitatibus petituri. Die I mensis Octobris anno MCMLXXI beatificationis canonizationisque Causa in Eparchia Trichuriensi incohata est. Omnibus servatis rebus iure statutis, sanctus Ioannes Paulus II die IX mensis Aprilis anno MM eam in foro Petriano in Beatorum numerum rettulit. Canonizationis causa putata mira sanatio exhibita est quam Consultores Medici Congregationis de Causis Sanctorum die XXII mensis Martii anno MMXVIII ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Theologi Consultores in Congressione peculiari die XVIII mensis Octobris anno MMXVIII eandem intercessioni beatae tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria coadunati, die V mensis Februarii anno MMXIX, edixerunt eam verum fuisse miraculum. Nos Ipsi die I subsequentis mensis Martii facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanc-

torum congruum Decretum foras emitteret. In sollemni Consistorio die I mensis Iulii eiusdem anni statuimus ut canonizationis ritum beatae Mariae Teresiae Chiramel Mankidiyan die XIII mensis Octobris eodem anno Nos Ipsi ageremus.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Henricum Newman, Iosephinam Vannini, Mariam Teresiam Chiramel Mankidiyan, Dulcem Lopes Pontes et Margaritam Bays Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clara haec soror diligentem ostendit spiritalem progressum atque insignia dedit pietatis testimonia. Dum illius conspicimus vitam, quae Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secuta, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 489.344

IV

Quibus beatae Dulci Lopes Pontes Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Vos autem Dominus abundare et superabundare faciat caritate in invicem et in omnes ... ad confirmanda corda vestra» (*1 Thess* 3, 12-13).

Quod fecit et beata Dulcis Lopes Pontes, quae intellexit praecipuum obtinere locum amorem, ad Christi exemplum retentum qui suam vitam pro mundo tradidit.

Haec Domini discipula, nomine Mariae Ritae baptizata, die XXVI mensis Maii anno MCMXIV in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia, altera de quinque liberis, ex Augusto et Dulce Maria de Souza Brito Lopes Pontes nata est. Sex annos nata matrem amisit et adulescens sedecim annorum id percipere coepit quod totam eius vitam signaret: caritatem. Suae domus in cellario parvulos, adultos et senes pauperes recipiebat eosque curabat: ex familia ac proximis cibum, vestimenta, medicamenta ac nonnulos nummulos obtinebat, quae eis aerumnarum levandarum causa tribuebat. Cum in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia scholam de magistris instituendis adiret, Tertium Ordinem Sancti Francisci est ingressa, exinde cognoscere potuit Antistitam Provincialem Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione Matris Dei. Diploma consecuta, die VIII mensis Februarii anno MCMXXXIII, in hanc Congregationem intravit quae Franciscalem spiritalitatem persequebatur. Die XV mensis Augusti anno MCMXXXIV vota religiosa nuncupavit et in matris memoriam nomen Dulcis sibi sumpsit. Ad urbem Sancti Salvatoris in Brasilia missa, ad tres solummodo menses, ut voluntaria valetudinaria "Hispanici Sanatorii", curriculum practicum pharmacopolae sustinuit. Una cum patre Hildebrando Kruthaup, O.F.M., qui eiusdem inde a iuventute spiritus moderator exstitit, varias caritatis operas constituit: primum operariorum christianum motum Sancti Salvatoris in Brasilia, "Coetum Operariorum Sancti Francisci" et "Circulum Operariorum Bahiae". Anno MCMXXXIX beata Dulcis in desertis suae urbis aedificiis aegrotos colligere coepit. Anno MCMXLIX, de

antistitae licentia, in proximum suae domus Congregationis gallinarium, idque aptatum, septuaginta aegrotos recipere potuit. Anno MCMLX Ptochodochium Sociale sororis Dulcis est inauguratum, addito Statuto quod cuncta eius instituta respiciebat ipsorumque tantum indolem christianam et humanam confirmabat. Mense Iulio anno MCMLXXIX Avelarius S.R.E. Cardinalis Brandão Vilela Archiepiscopus, ad Sancti Salvatoris urbem sanctam Matrem Teresiam de Calcutta invitavit, ut domum in Alagados oppido constitueret. Soror Dulcis, hanc nacta occasionem, eam convenit. Anno post Summum Pontificem sanctum Ioannem Paulum II visit. Die VIII mensis Februarii anno MCMLXXXIII valetudinarium Sancti Antonii est inauguratum, quod a Bahianis "sororis Dulcis miraculum" est habitum. Postremi beatae Dulcis menses morbo sunt signati, qui in peius mense Novembri anno MCMXCI est conversus. Mense Octobri insequentis anni sanctus Ioannes Paulus II urbem Sancti Salvatoris in Brasilia petivit atque ad Operas accedere voluit sororem Dulcem invisurus. Lucas S.R.E. Cardinalis Moreira Neves, Sancti Salvatoris in Brasilia Archiepiscopus Metropolita, perhibuit Summum Pontificem plus quam semel dixisse: "Hic est innocentis dolor. Idem est qui Iesu dolor". Cunctus beatae Dulcis apostolatus inter christianos collucet qui omnia suae vitae in Dei pauperumque caritate collocarunt. Eius caritas materna, lenis fuit. Eius de pauperibus sollicitudo in supernaturali fundamento nitebatur atque ex alto ipsa vires opesque hausit ut in ultimos iuvandos mirabilem operam navaret. Longe a terrestribus considerationibus, cum germanum Franciscalem animum haberet, pauper cum pauperibus facta est propter amorem in summum Pauperem. Haec omnia ex interiore serenitate oriebantur atque in hoc rerum dispectu inquirere debemus, in imo Beatae animo, ut subtilitates magis absconditas intellegamus et in lucem earum divitias evocemus. Interiorem pacem solum coram tabernaculo reperiebat, vitale eius alimentum Eucharistia erat et precatio, eius exemplar Beata Maria Virgo et eius familiaris sanctus Antonius. Quam maxime patrono Lusitano confidebat, quod eius spiritalitatem designabat: ei suarum Operarum committebat curam, in eo fulcimentum repperit quod eam nunquam deseruit. Beata Dulcis summa claritudine splendet propter eximiam simplicitatem, humilitatem atque fidentem divinae Providentiae deditionem. Laeta usque et animo elata, ex se congruentiam, aequabilitatem et completionem effundebat. Christiana prudentia sua munera exsequebatur semper ad Dei gloriam,

Summi Boni, qui ei peculiarem in modum in desertis et amotis hominibus ostendebatur, quibus omnes suas vires dicabat. Die XIII mensis Martii anno MCMXCII in urbe clara Sancti Salvatoris in Brasilia pie obiit.

Ob latam sanctitatis famam anno MM beatificationis Causa apud archidioecesim Sancti Salvatoris in Brasilia incohata est atque die XXII mensis Maii anno MMXI in eadem urbe beatificationis ritus est celebratus. Canonizationis gratia Sanctae Sedi sanatio mira habita exhibita est. Absoluta dioecesana Inquisitione die XX mensis Maii anno MMXVII, acta ad Congregationem de Causis Sanctorum sunt delata. Medici Consultores, in Congressione die X mensis Ianuarii anno MMXIX coadunati, favens sufragium tulerunt de sanatione ad scientiam inexplicabili. Idem sunt arbitrati Consultores Theologi, in Congressione peculiari die XXI mensis Martii eiusdem anni, atque Patres Cardinales et Episcopi, coadunati in Sessione ordinaria die VII subsequentis mensis Maii, sanationem verum miraculum iudicarunt, intercessioni ipsius Beatae adscriptum. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo die XIII mensis Maii anno MMXIX evulgaret, atque tandem in Consistorio die I mensis Iulii eodem anno statuimus ut canonizationis ritus beatae Dulcis Lopes Pontes die XIII mensis Octobris eodem anno Romae celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Henricum Newman, Iosephinam Vannini, Mariam Teresiam Chiramel Mankidiyan, Dulcem Lopes Pontes et Margaritam Bays Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hanc mulierem magnificare, quae eximias dedit religiosae pietatis testificationes, quaeque totam suam vitam Deo omnino et hominibus iuvandis addixit.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 469.957

V

Quibus beatae Iosephinae Vannini Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Infirmus eram, et visitastis me » (*Mt* 25, 36).

Haec Iesu verba charismatis camilliani constituunt fundamentum spiritualitatisque cardinem Beatae Iosephinae Vannini, quae materno corde ac suavitate penitus aegrotorum servitio se devovit, in illis ipsius Iesu Christi praesentiam intuens.

Haec vera Domini discipula (in saeculo: Iuditha Adelaidis Agatha), Angeli et Annuntiatae filia, nata est Romae die VII mensis Iulii anno MDCCCLIX ac postridie baptizata est in ecclesia Sancti Andreae Apostoli de Hortis. Cum annum agens octavum parentibus esset orbata, recepta est in Conservatorium Torlonia nuncupatum. Vocatione Dei tracta, quam sensit die primae Communionis, desiderio vitae Domino vovendae incensa est: expleto anno vicesimo primo aetatis, veste Filiarum Caritatis petita, Senae in novitiatum intravit, sed post quattuor annos ob infirmam valetudinem est dimissa. Ad Dominum viam ei aperuit providentia donatus occursus. Die XVII mensis Decembris anno MDCCCXCI, agens exercitia spiritualia, Beata animum suum aperuit patri praedicatori Aloisio Tezza – nunc beato – Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Procuratori Generali. Qui cum vidisset firmam vocationem religiosam ortasque difficultates, post utriusque longam precationem et meditationem, Pater Tezza intellexit puellam, pollentem animo constanti ac firma voluntate, ad novum Institutum religiosum condendum esse maturam. Itaque die XV mensis Ianuarii anno MDCCCXCII Beata, una cum duabus puellis, Patris Aloisii Tezza sequens consilium, in Via Merulana habitationem invenit. Die II mensis Februarii eiusdem anni, dicato Mariae Sanctissimae Purificationi ac Patris Fundatoris Sancti Camilli conversioni, in eius sanctuario, olim cubiculo, ubi Sanctus mortuus est, Pater Ioannes Mattis, Ordinis Superior Generalis, cui astitit Pater Aloisius Tezza, Procurator Generalis concessit ei aliisque duabus postulantibus tertiariarum camillianarum scapulare cum cruce rubri coloris, eas affilians Ordini Mini-

strantium Infirmis. Sic orta est Congregatio Filiarum Sancti Camilli atque Sororis Iosephinae nomen Iuditha accepit. Post tres annos, die VIII mensis Decembris anno MDCCCXCV vota perpetua emisit novique Instituti Antistita Generalis est electa. Decreto diei XXI mensis Iunii anno MCMIX Petrus S.R.E. Cardinalis Respighi, Vicarius Generalis pro Romana dioecesi, Filiarum Sancti Camilli Regulas et Constitutiones approbavit itemque Pium Conservatorium ad Congregationem iuris dioecesani provexit. Pontificia approbatio anno MCMXXXI secuta est. Postquam XIX annos Institutum sapienter duxerat, Romae nocte diei XXIII mensis Februarii anno MCMXI beata Iosephina Vannini sereno animo obviam ivit Domino quem amaverat cuique in pauperibus ac infirmis serviverat. Obdormivit in Domino a filiabus spiritualibus circumdata, quae etsi maestae, pro ea fervidas orationes fuderunt. In beatificationis homilia papa sanctus Ioannes Paulus II Beatae Iosephinae pro infirmis servitii charisma extulit: "Tota Deo esse dicata, in egenis amato honoratoque, hoc constans eius sollicitudo fuit, cotidiana ac interminata caritate erga infirmos expleta, vestigia secuta est aegrotorum insignis apostoli, sancti Camilli de Lellis". Iosephinae Vannini causa beatificationis et canonizationis inchoata est anno MCMLV per Processum ordinarium celebratum in Curia Vicariatus Romanae dioecesis atque eodem tempore Processus rogatoriales de fama sanctitatis Bonaëropoli atque Camaraci, expleto anno MCMLVI. Omnibus servatis iure statutis, in Congressu peculiari diei XXV mensis Octobris anno MCMXCI Consultores Theologi favens dederunt suffragium. Itemque super heroicis virtutibus iudicaverunt die VII mensis Ianuarii insequente anno in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi. Die VII mensis Martii anno MCMXCII congruum decretum edere iussit sanctus papa Ioannes Paulus II. Beatificationis causa praebita est asserta mira sanatio quae Bonaëropoli evenit atque, omnibus servatis de servandis iure, die XXIII mensis Decembris anno MCMXCIII decretum de miraculo est promulgatum. Die XVI mensis Octobris anno MCMXCIV sanctus papa Ioannes Paulus II eam Beatam in sollemni celebratione in foro Petriano proclamavit. Canonizationis causa a die I ad diem IV mensis Decembris anno MMXV apud Curiam dioecesanam Sinopensem de asserta mira sanatione Inquisitio dioecesana est peracta. Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum in Sessione die XXVII mensis Septembris anno MMXVIII hanc sanationem ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Consultores Theologi, in Congressione peculiari die XIX mensis Februarii anno MMXIX coadunati, eandem sanationem interces-

sioni Beatae tribuerunt, verumque autem miraculum Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione ordinaria die VII mensis Maii anno MMXIX coadunati, existimarunt. Nos Ipsi die XIII mensis Maii eiusdem anni facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo ederet, et in Consistorio die I mensis Iulii anno MMXIX statuimus ut canonizatio Beatae die XIII mensis Octobris eodem anno celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Henricum Newman, Iosephinam Vannini, Mariam Teresiam Chiramel Mankidiyan, Dulcem Lopes Pontes et Margaritam Bays Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 505.280

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Quibus denominatio Archivi Secreti Vaticani in Archivum Apostolicum Vaticanum mutatur.

L'esperienza storica insegna che ogni istituzione umana, sorta pure con le migliori tutele e con vigorose e fondate speranze di progresso, toccata fatalmente dal tempo, proprio per rimanere fedele a se stessa e agli scopi ideali della sua natura, avverte il bisogno, non già di mutare la propria fisionomia, ma di trasporre nelle diverse epoche e culture i propri valori ispiratori e operare quegli aggiornamenti che si rendono convenienti e a volte necessari.

Anche l'Archivio Segreto Vaticano, al quale i Romani Pontefici hanno sempre riservato sollecitudine e cura in ragione dell'ingente e rilevante patrimonio documentario che conserva, tanto prezioso per la Chiesa Cattolica quanto per la cultura universale, non sfugge, nella sua storia ormai più che quattro volte centenaria, a tali inevitabili condizionamenti.

Sorto dal nucleo documentario della Camera Apostolica e della stessa Biblioteca Apostolica (la cosiddetta *Bibliotheca secreta*) fra il primo e secondo decennio del XVII secolo, l'Archivio Pontificio, che cominciò a chiamarsi Segreto (*Archivum Secretum Vaticanum*) solo intorno alla metà di tale secolo, accolto in confacenti locali del Palazzo Apostolico, crebbe nel tempo in consistenza notevolissima e fin da subito si aprì alle richieste di documenti che pervenivano al Pontefice Romano, al cardinale Camerlengo e poi al cardinale Archivista e Bibliotecario da ogni parte dell'Europa e del mondo. Se è vero che l'apertura ufficiale dell'Archivio ai ricercatori di ogni Paese si avrà soltanto nel 1881, è vero anche che fra il XVII e il XIX secolo molte opere erudite si poterono pubblicare con l'ausilio di copie documentarie fedeli o autentiche che gli storici ottenevano dai custodi e dai prefetti dell'Archivio Segreto Vaticano. Tanto che il celebre filosofo e matematico tedesco Gottfried Wilhelm von Leibniz, il quale pure vi attinse, scrisse nel 1702 che esso poteva considerarsi in certo modo l'Archivio centrale dell'Europa (*quod quodam modo totius Europae commune Archivum censeri debet*).

Questo lungo servizio reso alla Chiesa, alla cultura e agli studiosi di tutto il mondo ha sempre guadagnato all'Archivio Segreto Vaticano stima

e riconoscenza, tanto più crescenti da Leone XIII ai nostri giorni, sia in ragione delle progressive «aperture» della documentazione resa disponibile alla consultazione (che dal prossimo 2 marzo 2020, per mia disposizione, si estenderà fino al termine del pontificato di Pio XII), sia in ragione dell'aumento di ricercatori che sono quotidianamente ammessi all'Archivio medesimo e aiutati in ogni modo nelle loro ricerche.

Tale meritorio servizio ecclesiale e culturale, così apprezzato, bene risponde agli intenti di tutti i miei predecessori, che secondo i tempi e le possibilità hanno favorito le ricerche storiche in così vasto Archivio, dotandolo, secondo i suggerimenti dei cardinali Archivisti o dei prefetti *pro tempore*, di persone, di mezzi e anche di nuove tecnologie. In tal modo si è provveduto alla graduale crescita della struttura dell'Archivio stesso per il suo sempre più impegnativo servizio alla Chiesa e al mondo della cultura, mantenendo sempre fede agli insegnamenti e alle direttive dei Pontefici.

Vi è tuttavia un aspetto che penso possa essere ancora utile aggiornare, ribadendo le finalità ecclesiali e culturali della missione dell'Archivio. Tale aspetto riguarda la stessa denominazione dell'istituto: *Archivio Segreto Vaticano.*

Nato, come accennato, dalla Bibliotheca *secreta* del Romano Pontefice, ovvero dalla parte di codici e scritture più particolarmente di proprietà e sotto la giurisdizione diretta del Papa, l'Archivio si intitolò dapprima semplicemente *Archivum novum,* poi *Archivum Apostolicum,* quindi *Archivum Secretum* (le prime attestazioni del termine risalgono al 1646 circa).

Il termine *Secretum,* entrato a formare la denominazione propria dell'istituzione, prevalsa negli ultimi secoli, era giustificato, perché indicava che il nuovo Archivio, voluto dal mio predecessore Paolo V verso il 1610-1612, altro non era che l'archivio privato, separato, riservato del Papa. Così intesero sempre definirlo tutti i Pontefici e così lo definiscono ancora oggi gli studiosi, senza alcuna difficoltà. Questa definizione, del resto, era diffusa, con analogo significato, presso le corti dei sovrani e dei principi, i cui archivi si definirono propriamente *secreti.*

Finché perdurò la coscienza dello stretto legame fra la lingua latina e le lingue che da essa discendono, non vi era bisogno di spiegare o addirittura di giustificare tale titolo di *Archivum Secretum.* Con i progressivi mutamenti semantici che si sono però verificati nelle lingue moderne e nelle culture e sensibilità sociali di diverse nazioni, in misura più o meno

marcata, il termine *Secretum* accostato all'Archivio Vaticano cominciò a essere frainteso, a essere colorato di sfumature ambigue, persino negative. Avendo smarrito il vero significato del termine *secretum* e associandone istintivamente la valenza al concetto espresso dalla moderna parola « segreto », in alcuni ambiti e ambienti, anche di un certo rilievo culturale, tale locuzione ha assunto l'accezione pregiudizievole di nascosto, da non rivelare e da riservare per pochi. Tutto il contrario di quanto è sempre stato e intende essere l'Archivio Segreto Vaticano, che – come disse il mio santo predecessore Paolo VI – conserva « echi e vestigia » del passaggio del Signore nella storia (*Insegnamenti di Paolo VI*, I, 1963, p. 614). E la Chiesa « non ha paura della storia, anzi la ama, e vorrebbe amarla di più e meglio, come la ama Dio! » (*Discorso agli Officiali dell'Archivio Segreto Vaticano*, 4 marzo 2019: *L'Osservatore Romano*, 4-5 marzo 2019, p. 6).

Sollecitato in questi ultimi anni da alcuni stimati Presuli, nonché dai miei più stretti collaboratori, ascoltato anche il parere dei Superiori del medesimo Archivio Segreto Vaticano, con questo mio Motu Proprio decido che:

da ora in poi l'attuale Archivio Segreto Vaticano, nulla mutando della sua identità, del suo assetto e della sua missione, sia denominato *Archivio Apostolico Vaticano*.

Riaffermando la fattiva volontà di servizio alla Chiesa e alla cultura, la nuova denominazione mette in evidenza lo stretto legame della Sede romana con l'Archivio, strumento indispensabile del ministero petrino, e al tempo stesso ne sottolinea l'immediata dipendenza dal Romano Pontefice, così come già avviene in parallelo per la denominazione della Biblioteca Apostolica Vaticana.

Dispongo che la presente Lettera Apostolica in forma di Motu Proprio venga promulgata mediante pubblicazione sul quotidiano *L'Osservatore Romano*, entrando in immediato vigore a partire da detta pubblicazione, così da essere subito recepita nei documenti ufficiali della Santa Sede, e che, successivamente, sia inserita negli *Acta Apostolicae Sedis*.

Dato a Roma, presso San Pietro, il 22 ottobre 2019, settimo del nostro Pontificato.

FRANCESCO PP.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

MERCEDENSIS - LUIANENSIS

In Argentina nova Provincia Ecclesiastica Mercedensis - Luianensis appellanda conditur eademque Sedes ad dignitatem Ecclesiae Metropolitanae evehitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In libertatem vocati, ut in occasionem demur per caritatem inserviendi (cfr *Gal* 5, 13), Dei gregis profectui consulentes, omnia in Ecclesia disponere satagamus, ut praepositi fratrum curam habeamus quasi probi tenerorum educatores puerorum, qui nobis ipsis a parentibus traditi sunt, conscii quod, si ita invicem affecti fuerimus cum subiecti tum magistri, illi quidem cum gaudio iussis ac mandatis obtemperent, hi vero cum voluptate fratres ad perfectum statum provehant (cfr s. Gregorius Nyssenus, *De instituto christiano*, 298), attingentibus omnibus laboris mercedem.

Catholicae, proinde, Ecclesiae in dilecta Nobis patria Argentina cordi habentes utilitatem, suadente Congregatione pro Episcopis prosperisque praehabitis sententiis Conferentiae Episcoporum Argentinae et Venerabilis Fratris Leonis Kalenga Badikebele, bonae memoriae, tunc Archiepiscopi titulo Magnetensis et in Argentina Nuntii Apostolici, reque mature perpensa, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, decernimus ac statuimus, ut, integris detractis a metropolitana Sede Bonaërensi territorio dioecesis Merlensis - Morenensis atque a metropolitana Sede Platensi territoriis dioecesium Sancti Dominici Novem Iulii et Zaratensis - Campanensis, nova ex iisdem Provincia Ecclesiastica Mercedensis - Luianensis nuncupanda erigatur, in qua Ecclesiam Mercedensem - Luianensem, hucusque Apostolicae Sedi immediate subiectam, ad gradum et dignitatem Ecclesiae metropolitanae omnibus cum iuribus, privilegiis et praerogativis ad normam canonum extollimus, cui suffraganeas subiciendas disponimus, de quibus iam supra,

dioeceses Merlensem - Morenensem, Sancti Dominici Novem Iulii et Zaratensem - Campanensem.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda Reverendum deputamus Dominum Alexandrum Rahinia, vices ad interim gerentem negotiorum Apostolicae Sedis in Argentina, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, imposito onere genuinum mittendi cum primum fas erit ad Congregationem pro Episcopis peractae exsecutionis exemplar.

Deum quaesumus, ut, qui omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat, gratiam suam super clerum et populum huius novae Provinciae Ecclesiasticae indesinenter infundat, qui, in Christo facti nova creatura, in puro et sincero corde se pro viribus virtutis administrationi tradant, novi effecti et reparati et instaurati.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Marcus card. Ouellet
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Franciscus Di Felice, *Proton. Apost.*
Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 470.476

II

URBIS

Templum S. Aegidii trans Tiberim ad dignitatem Tituli Presbyteralis evehitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae ex antiquissimo Ecclesiae more sacra Romae templa, tum antiquitate, tum singulari artificio, tum christifidelium frequentia rectorumque industria praestare videntur, ea Cardinalium titulis ex consuetudine assignari solent. Cum vero Purpuratorum Patrum augeatur numerus et ipsorum desiderentur tituli, opportunum visum est Nobis aliam sacram aedem deligere, cui Cardinalicii tituli dignitatem daremus. Has propter causas translaticias rationes servantes, statuimus ecclesiam Sancti Aegidii trans Tiberim inter templa iuris Cardinalicii referre. Eius autem historia et laudes in his praecipue stant, quod templum id, Romano clero concreditum, olim a Monialibus Carmelitarum Discalceatarum Ordinis curatum, nuper pari diligentia, studio et pietate ab Communitatis Sancti Aegidii sodalibus, pauperibus subvenientis, colitur, in quo et Praeses, et Consilium eius primariam sedem habent. Quapropter Decessorum Nostrorum vestigia secuti atque summa Apostolica usi potestate templum S. Aegidii trans Tiberim ad gradum Cardinalicii Presbyteralis Tituli evehimus, datis iuribus privilegiisque, quae ad huiusmodi sacras aedes pertinent. Mandamus praeterea ut hae Litterae Nostrae in cleri populique istius templi notitiam perveniant, ut eorum subsidio hac in aede, tanto honore digna iudicata, copiosius edantur pietatis documenta. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse atque fore volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 465.882

III

SANCTI IOANNIS XXIII SOPHIAE

Exarchia Apostolica Sophiae in Eparchiam sub titulo Sancti Ioannis XXIII Sophiae pro fidelibus ritus byzantini extollitur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Munere caritatis accepto, ad gloriam imitandam Domini nostri Crucis vocati, sacrificium decet nos omni sollicitudinis studio offerre, ut ipsius Salvatoris nostri mors annuntietur et eius fiat commemoratio, qui pro nobis posuit animam, atque hoc in veritate simus, quod in sacrificio mystice celebramus (cfr Fulgentius Ruspensis, *Contra Fabianum*, 28, 16-17. 19). Quod pietatis et pastorale munus curae habentes atque in animo meditantes, dum universi gregis utilitati et profectui consulimus, omnia in singulis Ecclesiis disponere contendimus, per quae animarum saluti ac spiritualis fidelium utilitati provideatur. Mentem ergo Nostram convertimus ad dilectos christifideles catholicos ritus byzantini in Bulgaria commorantes et, in eorum bonum et incrementum incumbere volentes, omnibus perpensis habitaque Conferentiae Interritualis Episcopalis in Bulgaria favorabili sententia, Venerabilis Fratris Nostri Leonardi S.R.E. Cardinalis Sandri, Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, audito consilio, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Exarchiam Apostolicam Sophiae pro fidelibus ritus byzantini in Eparchiam Sancti Ioannis XXIII Sophiae nuncupandam extollimus, nihil immutatis ecclesiae cathedralis sede atque loco residentiae Episcopi et conclaviis Curiae, cunctis consentaneis impositis iuribus privilegiisque concessis secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium.

Hanc Eparchiam Apostolicae Sedi immediate subiectam statuimus, eiusdem Patronum apud Deum sanctum Ioannem XXIII, papam, renuntiantes, necnon eius Episcopum membrum Conferentiae Episcopalis, de qua supra. Omnes sacerdotes iam in Exarchia ministerium exercentes ipso facto novae constitutae Eparchiae incardinentur atque item Seminarii alumni e paroeciis

eiusdem territorii provenientes novae circumscriptioni adscribantur. Cetera vero secundum normas dicti Codicis temperentur.

Misericordiam suam pandat Dominus super christifideles huius Eparchiae eosque in omnibus custodiat periculis, ut, Beata Maria Virgine Dei Matre sanctisque Cyrillo et Methodio intercedentibus, misericordi eos dominica gratia semper et praeveniat et sequatur ac bonis operibus iugiter praestet esse intentos.

Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo primo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Leonardus card. Sandri
Praefectus Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 469.343

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Mariae Crucifixae ab Amore Divino caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Omnia possum in Eo, qui me confortat» (*Philp* 4, 13).

Sancti Pauli verba Venerabilis Dei Servae Mariae Crucifixae ab Amore Divino vitam direxerunt, saeculari nomine Mariae Gargani appellatae. Christi caritate perfusa, suis spiritalibus filiabus, "Sororibus Apostolis a Sacro Corde", hanc reliquit regulam: "Sinite ut immolemini ad Dei gloriam, vos incommodis locis aptantes, ubi vocabimini ad desertis animabus opem ferendam, eis Veritatis Panem ministrantes".

Haec apostolici cordis mulier, postrema ex octo liberis, Morrae Hirpiniae, die XXIII mensis Decembris anno MDCCCXCII, a Rocho Gargani et Angelina De Paula parentibus nata est. Baptismali aqua abluta die XXX eiusdem mensis, solida religiosa doctrina apud familiam est instituta: suis in scriptis ipsa memorat patrem se ac fratres catechismum et matutinas vespertinasque preces docuisse. Regiam Scholam Normalem feminarum Abellini adiit atque, mense Iulio anno MCMXIII, congruam licentiam est consecuta, quae hodie idem est ac diploma scholae magistralis. Magistrae munus ei concreditum est in pago Sancti Marci ad Catulam et ibi, saltem initio, apud Antonillam sororem est commorata. Anno MCMXIV desiderium animadvertit sese totam Domino consecrandi ita ut, Sacri Cordis effigiem contuens, exclamaverit: "Ecce me, tua semper sum". Necessarii tamen, saltem initio, eius in religiosam vitam propensum studium aegre ferebant. Itare conventum Capuccinorum coepit atque, iuvante quoque patre Augustino a S. Marco in Lamis, domicilium apud familiam Villani repperit, ubi circiter sex annos est commorata, quasdam perpetiens difficultates propter difficile ingenium unius ex familia. Pater Augustinus eius confessarius ac spiritalis moderator factus est. Per eum Venerabilis Serva Dei in consuetudinem est inducta

cum sancto Pio de Pietrelcina, quocum crebrum litterarum commercium habuit. Anno MCMXVIII eum praesentem vidit et eius moderamini se commisit. Suum obiens magistrae litterariae munus, magnopere satagebat ut alumni humanam et christianam institutionem reciperent; tali modo iram concitavit clericatus adversatorum, in primis pugnatorum. Cum quidam inspector scholam inviseret, francomurarius, propter studium in munus exsequendum ab eo est laudata, at eodem tempore obiurgata, quod religiosam disciplinam "illicite" tradebat. Tunc accusationibus ea tam perspicue respondit, ut postea inspector cum Ecclesia sese reconciliaverit. Praeter docendi munus, multum operae ponebat in caritatis et apostolatus navitate pro iuvenibus et infirmis, quos saepe invisebat. Huius rei testimonium est quod Rosinellae Codacchio accidit, iuveni arthritide deformanti graviter laboranti. Clamabat ac suo in gurgustio blasphemabat. Venerabilis Serva Dei eam invisit atque assidue ei assidens, ipsam in humanam et christianam viam redemptionis per dolores acceptos perduxit et effecit ut pietatis exemplo illa esset omnibus. Anno MCMXXVIII ad oppidum Vulturariam Apulam, in Apulia, est translata et hic quoque multum apostolicae navitatis impendit, quam valde aestimavit excellentissimus Iosephus Di Girolamo, Episcopus Lucerinus. In primis assiduam operam dedit Tertio Ordini Franciscano et Actioni Catholicae, cuius feminini ordinis egit praesidis partes. In ipso Vulturariensi pago quasdam socias coadunare coepit, quae de Domino consecratione idem sentiebant quod ipsa et fundamenta iecit Instituti quod mox conditura erat. Nam excellentissimus Iosephus Di Girolamo eis claustrum, proximum sanctuario Beatae Mariae Virginis a Sanitate, concredidit atque per decretum die XI mensis Februarii anno MCMXXXVI canonice erexit "Piam Unionem Apostolarum a Sacro Corde", eis potestatem faciens constituendi asylum parvulorum et laboratoruim puellarum. Nonnullis post mensibus Serva Dei ac sociae vitam communem incoharunt. Novae communitatis religiosae munus fuit praecipuum operam in ruralibus locis navare, quae sacerdotibus carebant. Mense Septembri anno MCMXL excellentissimus Iosephus Di Girolamo facultatem novo Instituto fecit in dioecesis oppidis institutionis doctrinam tradere. A primis inde annis vitae consecratae complurae fuerunt operae a sororibus navatae, scilicet conversae in pueros ludi litterarii post scholas iuvandos, scholas artis iuvenum mulierum, scholas ad magistras asyli parandas, laboratoria feminarum et asyla infantium. Die XVIII mensis Aprilis anno MCMXLV Venerabilis Serva Dei vota religiosa nuncupavit una cum sororibus

Piae Unionis a Corde Eucharistico Iesu atque deinceps iter suscepit Piam Unionem a Corde Eucharistico Iesu commutandi in Congregationem iuris dioecesani. Quarto decennio saeculi XX novas domus Institutum condidit, ita ut in compluribus Italiae dioecesibus adesset atque, die XX mensis Iunii anno MCMLVI, officiose in Congregationem iuris dioecesani est erectum. Die XXII subsequentis mensis Iulii Venerabilis Dei Serva una cum magno filiarum numero perpetua vota nuncupavit. In difficultatibus quoque fide atque caritate est perducta, probum servans agendi modum, minime mussitans adversus alios, humilem oboedientemque ostendens morem, assidua precatione roboratum. Cum valetudo in peius est conversa, Capitulum generale novam Antistitam elegit, cui ipsa subitam promptamque oboedientiam praestitit, exemplo demonstrans humilitatis momentum. Neapoli pie obiit, ab omnibus defleta, die XXIII mensis Maii anno MCMLXXIII.

Ob latam sanctitatis famam a die V mensis Decembris anno MCMLXXXVIII ad diem XVI mensis Maii anno MMII apud Curiam Neapolitanam dioecesana inquisitio est celebrata, cuius validitatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum die XXI mensis Martii anno MMIII. Positione comparata, Consultores Theologi, in Congressione peculiari die XXIX mensis Novembris anno MMXVI coadunati, de virtutibus heroum in modum exercitis faventia suffragia tulerunt et in eandem sententiam venerunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria die XX mensis Iunii anno MMXVII coadunati. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum evulgaret. Proinde putata sanatio exhibita est, quam Medici Consultores eiusdem Congregationis ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Consultores Theologi in peculiari Congressione die XXVI mensis Octobris anno MMXVII sanationem Venerabilis Servae Dei intercessioni adscripserunt et idem senserunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria die IX mensis Ianuarii anno MMXVIII. Sic Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum de miraculo Decretum evulgaret atque statuimus etiam ut beatificationis ritus die II mensis Iunii anno MMXVIII Neapoli celebraretur.

Hodie igitur Neapoli ex mandato Nostro, Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Servam Dei Mariam Crucifixam ab Amore Divino:

Nos, vota Fratris Nostri Crescentii S.R.E. Cardinalis Sepe, Archiepiscopi Metropolitae Neapolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episco-

patu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Gargani (in religione: Maria Crucifixa ab Amore Divino), virgo, Fundatrix Congregationis Apostolarum a Sacro Corde, assidua educatrix iuvenum, operosa testis caritatis et indefatigabilis divinorum Mysteriorum catechista, Beatae nomine in posterum appelletur, atque die vicesima quarta mensis Maii quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clara haec soror peculiarem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem. Dum illius conspicimus vitam virtutesque, ad altiorem usque imitationem Salvatoris incitamur eius maiestatem sine intemissione glorificantes.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Iunii, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 469.940

II

Venerabili Servae Dei Mariae a Conceptione (in saeculo: Adelaidi de Batz de Trenquelléon) Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Hosanna Filio David!» (*Mt* 21, 9).

Venerabilis Serva Dei Maria a Conceptione obiit haec evangelica verba exclamans. Sic brevem conclusit vitam, vix triginta quinque annos nata, quam in laetitia egit amoris in Deum, in ministerio erga pauperes ruricolas circum familiae eius burgum et in ardenti desiderio consecrandi se Deo in vita religiosa. Deus ei dona concessit indolis suavis ut facile amicitiam et necessitudinem cum aliis coleret, quapropter coetum amicarum congregavit cum quibus anno MDCCCXVII religiosum institutum condidit Beatae Mariae Virgini dicatum.

Adelaidis de Batz de Trenquelléon nata est die X mensis Iunii anno MDCCLXXXIX in burgo Trenquelléon, tunc dioecesis Condomiensis, nunc dioecesis Agennensis, in Francogallia. Eodem die baptizata est. Primogenita filia fuit baronis Caroli de Batz et baronissae Mariae Ursulae de Peyronnencq. Illo tempore quo puella erat, saeviit Francogallica eversio. Quia pater eius officialis erat custodiae realis, coactus est ad exsilium in Angliam, dum uxor eius una cum filiis Adelaide et Carolo refugium invenit Brigantiae in Lusitania vere anni MDCCXCVIII. Deinde Baron pervenit suam ad familiam atque, antequam primus consul Bonaparte inchoaret politicam pacificam, Francogalliae confines attingere decrevit, mense Septembri anno MDCCC eligens commorationem Hispaniae in urbe Sancti Sebastiani. In Epiphania Domini, die VI mensis Ianuarii anno MDCCCI Adelaidis Primam accepit Communionem magno cum spirituali lucro, ita ut matri desiderium manifestaret soror carmelitis fieri. Reversa ad castellum Trenquelléon, a praeceptore domino Ducourneau instituebatur. Qui vitae regulam ei imposuit, qua iuvenis multum adiuta est ad vitam spiritualem maturandam. Die VI mensis Februarii anno MDCCCIII sacramentum Confirmationis suscepit ac deinceps intentum religiosum socialemque apostolatum explicavit. A matre ad pietatem et servitium educata, ardenti flagrans desiderio sese consecrandi Christo et Beatae Virgini Mariae, ab adulescentia se dicavit familiis pauperibus et indigentibus succurrendis,

pueris adultisque ad vitae christianae veritates moresque instituendis. Eius laetitia, affabilitas indolesque moderandi iuverunt eam ut solida vincula amicitiae conecteret aliis cum iuvenibus puellis, quibuscum creavit "Parvam Consociationem", id est manipulum iuvenum quae in plebe assidue catechismum docebant, pueros instituebant atque aegrotantes visitabant. Adelaidis Consociationem animabat suisque sociis ardentem Dei amorem communicabat, easque inducebat ad sacramenta suscipienda, colendam caritatem, paenitentiam, vitam integram et erga Beatissimam Virginem Mariam pietatem. "Parva Consociatio" in pagis inferioris cursus Garunnae diffusa est. Anno quidem MDCCCVIII Venerabilis Serva Dei novit beatum Villelmum Iosephum Chaminade, qui Burdigalae Congregationem Marianam moderabatur. Ipse invitavit eam ut suam Parvam Consociationem cum Congregatione Mariana coniungeret. Interea Adelaidis lucrosas nuptias recusavit atque propositum fecit in castitate se Deo consecrandi. Respecta plebis ruralis materiali, morali et religiosa miseria, desiderabat contemplationem cum apostolica actuositate copulare. Quaedam sociae eius idem sentiebant. Tunc beatus Villelmus Iosephus Chaminade pro eis redigendam Regulam vitae religiosae curavit. Restituta autem anno MDCCCXV monarchia in Francogallia, ipse adiuvit eas ad religiosam communitatem Agenni constituendam. Die XXV mensis Maii anno MDCCCXVI una cum quinque sociis Congregationem Filiarum Mariae Immaculatae fundavit; deinde die XXV mensis Iulii anno MDCCCXVII, assumpto nomine Mariae a Conceptione, simul cum ceteris primis sociis necnon octo postulantibus professionem religiosam emiserunt, qua sese Deo voverunt. Novae religiosae assidue promoverunt Congregationem Marianam, scholam gratuitam et artificii exercitia pro pauperibus puellis. Eorum opera extemplo magni aestimata sunt et receperunt plures vocationes. Eodem anno ortus est Tertius Ordo Saecularis ad operandum in locis ubi clausurae votum religiosis haud sivit pervenire. Magnus fuit ardor et Mater Maria a Conceptione vitam egit valde intentam in oratione, spirituali moderatione suarum sociarum atque in regimine Congregationis, donec anno MDCCCXXIV morbo correpta sit. Agenni die X mensis Ianuarii anno MDCCCXXVIII e vita functa est, sanctitatis fama circumfusa, exclamans: "Hosanna Filio David!".

Perdurante fama sanctitatis permotus, Excellentissimus Dominus Ioannes Marcellus Rodié, Episcopus Agennensis, die XXI mensis Aprilis anno MCMXLVI inchoavit Processum Informativum. Omnibus servatis iure servandis et parata Positione, die XXVIII mensis Ianuarii anno MCMLXXXVI in Congressu

Peculiari Consultorum Theologorum disceptatum est, prospero cum exitu, an Serva Dei heroico modo virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei XXII mensis Aprilis eodem anno coadunati, idem arbitrati sunt. Itaque Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II die V mensis Iunii anno MCMLXXXVI facultatem fecit Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum de virtutibus ederet.

Beatificationis gratia, Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit quandam miram habitam sanationem, quam Consultores medici dictae Congregationis die XII mensis Maii anno MMXVI censuerunt scientifice inexplicabilem. Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die XIX mensis Ianuarii anno MMXVII coadunati, hanc sanationem intercessioni Venerabilis Servae Dei Mariae a Conceptione adscripserunt, ac die II mensis Maii eiusdem anni in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi iudicarunt eam verum miraculum divinitus patratum fuisse. Exinde Nos, relata probantes, facultatem fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut hac de re Decretum ederet atque decrevimus ut beatificationis ritus die X mensis Iunii anno MMXVIII Agenni in Francogallia celebraretur.

Hodie igitur Agenni de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam a Conceptione (in saeculo: Adelaidem de Batz de Trenquelléon) in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Huberti Herbreteau, Episcopi Agennensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria a Conceptione, (in saeculo: Adelaidis de Batz de Trenquelléon), virgo, Fundatrix Congregationis Filiarum Mariae Immaculatae, quae sedula fuit in iuvenum christiana educatione promovenda atque in misericordiae operibus exercendis, Beatae nomine in posterum appelletur, atque die decima mensis Ianuarii, qua in caelum orta est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Huius ergo Beatae exemplar credentibus nostrae aetatis proponentes, quae Deo arte nitebatur ac pauperrimis puellis aliisque indigentibus inserviebat, eiusque laudamus magnanimam caritatem atque in Immaculatam Virginem Mariam constantem pietatem.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die X mensis Iunii, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 424.551

III

Venerabili Servae Dei Mariae Feliciae a Iesu Sacramentato Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo manet» (*1 Io* 4, 16).

Venerabilis Serva Dei Maria Felicia a Iesu Sacramentato, in saeculo Maria Felicia Guggiari Echeverría, plane haec verba apostoli Ioannis explevit suamque vitam veluti hymnum caritatis et amoris in Altissimum Deum fecit.

Ipsa Villa Divite Spiritus Sancti, in urbe capite regionis Guairá, in Paraguaia, e parentibus Raimundo Guggiari et Arminda Maria Echeverría nata est die XII mensis Ianuarii anno MCMXXV, primogenita de sex filiis. Primaria rudimenta scholastica suscepit in Collegio Mariae Auxiliatricis atque haec salesiana educatio magni ponderis fuit in cuncta vita eius. Hilaris omniumque amica, mox eminuit longiore intentioreque precatione cum constanti gaudio coniuncta. Tempore superiorum studiorum adhaesit Actioni Catholicae, quae dudum in Paraguaia restituta fuit, ubi in regimine nationali quaedam officia gessit. Cum familia eius Urbem Assumptionis transmigravit, die VIII mensis Septembris anno MCMLIII Venerabilis Serva Dei se Deiparae Virgini Mariae totam consecravit secundum modum Marianae Servitutis sancti Ludovici Mariae Grignon de Montfort. Proinde mense Ianuario anni MCMLIV, dum exercitia spiritualia perficiebat, decrevit sese Deo plane vovere in Carmelo Urbis Assumptionis, ubi die II mensis Februarii insequentis anni coepit postulatum. Nonnullos autem post dies altae serenitatis, Dominus inchoavit opus purificationis, illam in noctem spiritus ponens. Grave dubium super electionis factae certitudine eius animum invasit. Numquid esset error quod mundum reliquit, ubi tantum bonum fecerat, ac se intra moenia clausit, lucernam sub modium ponens? Tenebrarum culmen attigit tempore exercitiorum spiritualium antequam vestem religiosam acciperet. Amatum suum fide proximum experiebatur unumque tantum requirebat: "Amorem ad amandum". Die XIV mensis Augusti anno MCMLV sanctum habitum Virginis induit familiaeque Carmeli incorporata est. Residuum eius brevis vitae haud facilius esse potuit. Ardenter studuit amare Iesum, sorores suae

communitatis, sacerdotes, qui semper aderant, pauperes humilesque, atque mundum universum, viam sequens quam sancta Teresia a Iesu Infante in Carmelo Lexoviensi prima indicaverat. Hoc spirituale iter per orationem et immolationem completum est. Dum tertium ageret annum professionis religiosae, die VII mensis Ianuarii anno MCMLIX cara amica eius de hepatite infectiva defuncta est. Paucos post dies ipsa eodem morbo correpta inventa est. Ad valetudinarium Crucis Rubrae allata est ut curaretur. Tempore Quadragesimae remissa est. Reversa est in suum dilectum monasterium vitamque monasticam denuo egit omni magnanimitate et oblatione. Cum pervenit Hebdomada Sancta, praecipue se coniunxit cum Passione Iesu, offerens plenam amoris actuositatem. Deinde Feria Sexta in Passione Domini cappellanus, tribuens illi sanctam communionem, animadvertit livorem super lingua. Insequenti die coeperunt apparere maculae sanguinis; Dominica Paschali ac die insequenti multiplicatae sunt. Die Martis sanguinis gravi profluvio turbata est Mater Priorissa. Diagnosis fuit velox: Est purpura! Iterum ad valetudinarium Crucis Rubrae allata est, ubi coepit eius Calvarium eiusque plena adhaesio Cruci, cum patientia et laetitia ineffabili. Hora quarta matutina die XXVIII mensis Aprilis audita est verba proferre: "Iesu, qualem dulcem occursum! Virgo Maria!". Postrema erant eius verba.

Perdurante fama sanctitatis Venerabilis Servae Dei, inchoata est Causa beatificationis, quae ad conclusionem adducta est die XXVIII mensis Aprilis anno MM, cuius quidem iuridicam validitatem Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per decretum die XXII mensis Februarii anno MMII datum. Parata Positione super virtutibus, excussum est ac probatum a Consultoribus theologis in Congressu Peculiari die XX mensis Martii anno MMIX, quod deinde etiam Patres Cardinales et Episcopi adunati in sessione ordinaria die VIII mensis Februarii anno MMX fassi sunt, nempe Venerabilem Servam Dei virtutes heroum ad modum exercuisse. Demum Decessor Noster Benedictus XVI facultatem tribuit Congregationi de Causis Sanctorum ut decretum super virtutibus promulgaret. Relata est etiam quaedam sanatio mira putata, quam Consultores medici Congregationis de Causis Sanctorum die I mensis Iunii anno MMXVII iudicarunt quoad scientiam inexplicabilem. Deinde Consultores theologi peculiari in Congressu coadunati die XX mensis Novembris anno MMXVII hanc miram sanationem intercessioni Venerabilis Servae Dei adscripserunt; Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria die VI mensis Martii anno MMXVIII agnoverunt illam verum miraculum divinitus

patratum fuisse. Denique Nos Ipsi facultatem tribuimus Congregationi de Causis Sanctorum ut decretum super miro publici iuris faceret itemque beatificationis ritum in Urbe Assumptionis, in Paraguaia, celebrandum decrevimus die XXIII mensis Iunii anno MMXVIII.

Hodie igitur in Urbe Assumptionis de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Feliciam a Iesu Sacramentato, in saeculo Mariam Feliciam Guggiari Echeverría, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Edmundi Pontiani Valenzuela Mellid, S.D.B., Archiepiscopi Metropolitae Sanctissimae Assumptionis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Felicia a Iesu Sacramentato (in saeculo: Maria Felicia Guggiari Echeverría), virgo, soror professa Ordinis Carmelitarum Discalceatarum, quae, divinae voluntati plane fisa, evangelicae perfectionis arduum iter percurrit, Domino sese tota magnanimitate consecrans, Beatae nomine in posterum appelletur, atque die duodetricesima mensis Aprilis, qua in caelum orta est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Iunii, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 484.119

IV

Venerabili Dei Servae Alfonsae Mariae Eppinger caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Audite, fratres mei dilectissimi. Nonne Deus elegit, qui pauperes sunt mundo, divites in fide et heredes regni, quod repromisit diligentibus se? » (*Iac* 2, 5).

Venerabilis Dei Serva penitus hoc Domini Verbum tenuit, id re cum adimpleret et sanctitatis feminarum sic exemplum saeculo XIX fieret. In ea spiritalitas ex Iesu Amore funditus retento exstabat et fons fuit amoris realis in proximum isque effecit ut novum Institutum religiosum conderetur, pauperibus ac dolentibus eorum in domibus serviens.

Nata est ipsa die IX mensis Septembris anno MDCCCXIV in oppido Niederbronn les Bains Alsatiae Australis, in modica agricolarum familia, prima ex XI fratribus et sororibus. Haud firma fruens valetudine, puella et adolescens communes familiae agricolarum condiciones est experta, adiumentum ferens operibus domus et camporum. Mature magnum religionis sensum ostendit, precationi, sacrae Eucharistiae, Crucis mysterio studens. Mox se ad vitam religiosam vocari animadvertit et una cum quibusdam sociis in Tertium Ordinem Franciscanum est recepta. Operibus paroecialibus atque pauperibus aegrotisque invisendis auxilium attulit. Sapienti prudentique Episcopo Argentoratensi Andreae Raess usque obsequens, anno MDCCCXLIX Venerabilis Dei Serva Congregationem « Filiarum a Divino Redemptore » condidit. Una simul cum parvo iuvenum manipulo caritatis opera agenda incohavit: indigentes invisere et eis cibum praebere, eosdem curare et solari, lucem Christi amoris ferendo. Demptis religionis saepimentis, suam copiosam propter caritatem aestimata sive apud catholicos sive apud Lutheranos, in nomine Domini omnes discretiones superavit. Novi Instituti propositum, ad honorem Cordium Iesu et Mariae conditi, fuit "ea honorare per eorum bonitatis in omnes indigentes imitationem", cum cunctis subveniretur ut Dei amor erga omnes homines cognosceretur, totis viribus operando, quemadmodum bonus Samaritanus fecit, cuius Salvator est exemplar: sic anno MDCCCLV scripsit ipsa excellentissimo Andreae Raess. Mature Venerabilis Serva Dei copiosos

fructus conspicere potuit suorum laborum suaeque continuatae precationis: complures vocationes ex Alsatia ac Germania obvenerunt, novae Domus sunt conditae et in cappella Domus principis, in qua sub panis specie Iesus hodie quoque amatur et adoratur, oecumenismum antecedens, ecclesia duobus cultibus inserviebat, videlicet catholico et lutherano. Anno MDCCCLXIII Institutum definitive est approbatum quodque nomen commutavit. Dehinc filiae Venerabilis Servae Dei sunt vocatae "Sorores a Sanctissimo Salvatore". Cum omnibus dialogum instituere valeret, Ecclesiae artae unitati studens, Alfonsa Maria agere est coacta de quaestionibus propriis nationibus nimis faventium et de contentionibus inter nationes Europae Septentrionalis, cum semper caritas, Cordibus Iesu et Mariae deditio, eucharistica devotio, amor in Summum Pontificem et Ecclesiam medium spiritalem obtinerent locum. Sic eius experientia mystica in ea magnopere re effecta est in caritate erga proximum exercenda. Die XXXI mensis Iulii anno MDCCCLXVII obiit.

Perdurante sanctitatis fama, anno MCMLV Processus Informativus actus est. Positione comparata et iis observatis iure statutis, Consultores Theologi, in Congressu peculiari coadunati die XXIX mensis Ianuarii anno MMXI, felici cum exitu eius virtutes heroum in modum exercitas ponderaverunt, et sic Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordianaria die XVIII consequentis mensis Octobris iudicarunt. Beatificationis causa mira sanatio exhibita est, quam Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum, die I mensis Iunii anno MMXVII coadunati, ad scientiam inexplicabilem putaverunt. Consultores Theologi, in Congressione peculiari die XXVI mensis Octobris anno MMXVII, hanc sanationem intercessioni Venerabilis Servae Dei tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XVI mensis Ianuarii anno MMXVIII verum miraculum hanc sanationem iudicarunt, ita Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo die XXVI mensis Ianuarii anno MMXVIII evulgaret et statuimus ut beatificationis ritus die IX mensis Septembris anno MMXVIII Argentorati (in Francogallia) celebraretur.

Hodie igitur Argentorati ex mandato Nostro, Angelus S.R.E. Cardinalis Becciu, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Dei Servam Alfonsam Mariam Eppinger.

Nos, vota Fratris Nostri Lucae Ravel, C.R.S.V., Archiepiscopi Argentoratensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque

christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Alfonsa Maria Eppinger (in saeculo: Elisabetha), virgo, Fundatrix Congregationis Sororum a Sanctissimo Salvatore, quae patiens, tacens et precans, Dei amorem testata est praesertim in corpore et mente aegrotantes, Beatae nomine in posterum appelletur atque die nona mensis Septembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec Beata, quae duodeviginti annos moderata est Congregationem suam, cum ipsa diu dolorosas angustias experiretur, lenitudine et caritate erga proximum compulsa, ne infirmitate ac solitudine afflicti deprimerentur, sollicita erat de nuntio diffundendo omnes homines a Deo misericordi amari, quam cunctis exemplar nunc praebemus.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Septembris anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 427.297

HOMILIAE

I

In Consistorio Ordinario Publico pro novis tredicim Cardinalibus creandis.*

Al centro del racconto evangelico che abbiamo ascoltato [1] c'è la «compassione» di Gesù.[2] *Compassione*, parola-chiave del Vangelo; è scritta nel cuore di Cristo, è scritta da sempre nel cuore di Dio.

Nei Vangeli vediamo molte volte Gesù che sente compassione per le persone sofferenti. E più leggiamo, più contempliamo, e più comprendiamo che la compassione del Signore non è un atteggiamento occasionale, sporadico, ma è costante, anzi, sembra essere *l'atteggiamento del suo cuore*, nel quale si è incarnata la misericordia di Dio.

Marco, ad esempio, riferisce che quando Gesù incominciò ad andare per la Galilea predicando e scacciando i demoni, «venne da lui un lebbroso, che lo supplicava in ginocchio e gli diceva: "Se vuoi, puoi purificarmi!". Ne ebbe compassione, tese la mano, lo toccò e gli disse: "Lo voglio, sii purificato!"».[3] In questo gesto e in queste parole c'è la missione di Gesù Redentore dell'uomo: *Redentore nella compassione*. Lui incarna la volontà di Dio di purificare l'essere umano malato dalla lebbra del peccato; Lui è "la mano tesa di Dio" che tocca la nostra carne malata e compie quest'opera colmando l'abisso della separazione.

Gesù *va a cercare le persone scartate*, quelli che ormai sono senza speranza. Come quell'uomo paralitico da trentotto anni, che giace presso la piscina di Betzatà, aspettando invano che qualcuno lo aiuti a scendere nell'acqua.[4]

Questa compassione non è spuntata a un certo punto della storia della salvezza, no, *è sempre stata in Dio*, impressa nel suo cuore di Padre. Pensiamo al racconto della vocazione di Mosè, per esempio, quando Dio gli parla dal roveto ardente e gli dice: «Ho osservato la miseria del mio popolo

* Die 5 Octobris 2019.
[1] *Mc* 6, 30-37a.
[2] Cfr v. 34.
[3] 1, 40-42.
[4] Cfr *Gv* 5, 1-9.

in Egitto e ho udito il suo grido [...]: conosco le sue sofferenze».[5] Ecco la compassione del Padre!

L'amore di Dio per il suo popolo è tutto impregnato di compassione, al punto che, in questa relazione di alleanza, ciò che è divino è compassionevole, mentre purtroppo sembra che ciò che è umano ne sia tanto privo, tanto lontano. Lo dice Dio stesso: «Come potrei abbandonarti, Efraim, come consegnarti ad altri, Israele? [...] Il mio cuore si commuove dentro di me, il mio intimo freme di compassione. [...] Perché sono Dio e non uomo, sono il Santo in mezzo a te e non verrò nella mia ira».[6]

I discepoli di Gesù dimostrano spesso di essere *senza compassione*, come in questo caso, di fronte al problema delle folle da sfamare. Loro in sostanza dicono: "Che si arrangino...". È un atteggiamento comune a noi umani, anche quando siamo persone religiose o addirittura addette al culto. Ce ne laviamo le mani. Il ruolo che occupiamo non basta a farci essere compassionevoli, come dimostra il comportamento del sacerdote e del levita che, vedendo un uomo moribondo sul ciglio della strada, passarono oltre dall'altra parte.[7] Dentro di sé avranno detto: "Non tocca a me". Sempre c'è qualche pretesto, qualche giustificazione per guardare da un'altra parte. E quando un uomo di Chiesa diventa un funzionario, questo l'esito più amaro. Ci sono sempre delle giustificazioni, a volte sono anche codificate e danno luogo a degli "scarti istituzionali", come nel caso dei lebbrosi: "Certo, devono stare fuori, è giusto così". Così si pensava, e così si pensa. Da questo atteggiamento molto, troppo umano derivano anche *strutture di non-compassione*.

A questo punto possiamo domandarci: siamo coscienti, noi per primi, di essere stati *oggetto della compassione di Dio*? Mi rivolgo in particolare a voi, fratelli Cardinali e in procinto di diventarlo: è viva in voi questa consapevolezza? Di essere stati e di essere sempre preceduti e accompagnati dalla sua misericordia? Questa coscienza era lo stato permanente del cuore immacolato della Vergine Maria, che loda Dio come il "suo salvatore" che «ha guardato l'umiltà della sua serva».[8]

A me fa tanto bene rispecchiarmi nella pagina di Ezechiele 16: la storia d'amore di Dio con Gerusalemme; in quella conclusione: «Io stabilirò la mia

[5] *Es* 3, 7.
[6] *Os* 11, 8-9.
[7] Cfr *Lc* 10, 31-32.
[8] *Lc* 1, 48.

alleanza con te e tu saprai che io sono il Signore, perché te ne ricordi e ti vergogni e, nella tua confusione, tu non apra più bocca, quando ti avrò perdonato quello che hai fatto».[9] Oppure in quell'altro oracolo di Osea: «La condurrò nel deserto e parlerò al suo cuore. [...] Là mi risponderà come nei giorni della sua giovinezza, come quando uscì dal paese d'Egitto».[10] Possiamo domandarci: sento su di me la compassione di Dio? Sento su di me la sicurezza di essere figlio di compassione?

È viva in noi la coscienza di questa compassione di Dio per noi? Non si tratta di una cosa facoltativa, e nemmeno, direi, di un "consiglio evangelico". No. Si tratta di un requisito essenziale. Se io non mi sento oggetto della compassione di Dio, non comprendo il suo amore. Non è una realtà che si possa spiegare. O la sento o non la sento. E se non la sento, come posso comunicarla, testimoniarla, donarla? Anzi, non potrò fare questo. Concretamente: ho compassione per quel fratello, per quel vescovo, quel prete?... Oppure sempre distruggo con il mio atteggiamento di condanna, di indifferenza, di guardare da un'alta parte, in realtà per lavarmene le mani?

Da questa consapevolezza viva dipende per tutti noi anche *la capacità di essere leale* nel proprio ministero. Anche per voi, fratelli Cardinali. La parola "compassione" mi è venuta nel cuore proprio nel momento di incominciare a scrivere a voi la lettera del 1° settembre. La disponibilità di un Porporato a dare il proprio sangue – significata dal colore rosso dell'abito – è sicura quando è radicata in questa coscienza di aver ricevuto compassione e nella capacità di avere compassione. Diversamente, non si può essere leali. Tanti comportamenti sleali di uomini di Chiesa dipendono dalla mancanza di questo senso della compassione ricevuta, e dall'abitudine di guardare da un'altra parte, dall'abitudine dell'indifferenza.

Chiediamo oggi, per intercessione dell'Apostolo Pietro, la grazia di un cuore compassionevole, per essere testimoni di Colui che ci ha amato e ci ama, che ci ha guardato con misericordia, che ci ha eletti, ci ha consacrati e ci ha inviati a portare a tutti il suo Vangelo di salvezza.

[9] *Ez* 16, 62-63.
[10] 2, 16-17.

II

In Sancta Missa celebrata occasione apertionis Coetus Specialis Synodi Episcoporum pro Regione Panamazonica (6-27 Octobris 2019).*

L'Apostolo Paolo, il più grande missionario della storia della Chiesa, ci aiuta a "fare Sinodo", a "camminare insieme": quello che scrive a Timoteo sembra rivolto a noi, Pastori al servizio del Popolo di Dio.

Anzitutto dice: «Ti ricordo di ravvivare il dono di Dio, che è in te mediante l'imposizione delle mie mani».[1] Siamo vescovi perché abbiamo ricevuto un *dono di Dio*. Non abbiamo firmato un accordo, non abbiamo ricevuto un contratto di lavoro in mano, ma mani sul capo, per essere a nostra volta mani alzate che intercedono presso il Signore e mani protese verso i fratelli. Abbiamo ricevuto un dono per essere doni. Un dono non si compra, non si scambia, non si vende: si riceve e si regala. Se ce ne appropriamo, se mettiamo noi al centro e non lasciamo al centro il dono, da Pastori diventiamo funzionari: facciamo del dono una funzione e sparisce la gratuità, e così finiamo per servire noi stessi e servirci della Chiesa. La nostra vita, invece, per il dono ricevuto, è per servire. Lo ricorda il Vangelo, che parla di «servi inutili»:[2] un'espressione che può voler dire anche "servi *senza utile*". Significa che non ci diamo da fare per raggiungere un utile, un guadagno nostro, ma perché gratuitamente abbiamo ricevuto e gratuitamente diamo.[3] La nostra gioia sarà tutta nel servire perché siamo stati serviti da Dio, che si è fatto nostro servo. Cari fratelli, sentiamoci chiamati qui per servire mettendo al centro il dono di Dio.

Per essere *fedeli* a questa nostra chiamata, alla nostra missione, San Paolo ci ricorda che il dono va *ravvivato*. Il verbo che utilizza è affascinante: ravvivare letteralmente, nell'originale, è "*dare vita a un fuoco*" [*anazopurein*]. Il dono che abbiamo ricevuto è un fuoco, è amore bruciante a Dio e ai fratelli. Il fuoco non si alimenta da solo, muore se non è tenuto in vita, si spegne se la cenere lo copre. Se tutto rimane com'è, se a scandire i nostri giorni è il "si è sempre fatto così", il dono svanisce, soffocato dalle

* Die 6 Octobris 2019.
[1] *2 Tm* 1, 6.
[2] *Lc* 17, 10.
[3] Cfr *Mt* 10, 8.

ceneri dei timori e dalla preoccupazione di difendere lo *status quo*. Ma « in nessun modo la Chiesa può limitarsi a una pastorale di "mantenimento", per coloro che già conoscono il Vangelo di Cristo. Lo slancio missionario è un segno chiaro della maturità di una comunità ecclesiale ».[4] Perché la Chiesa sempre è in cammino, sempre in uscita, mai chiusa in sé stessa. Gesù non è venuto a portare la brezza della sera, ma il fuoco sulla terra.

Il fuoco che ravviva il dono è lo Spirito Santo, datore dei doni. Perciò San Paolo continua: « Custodisci *mediante lo Spirito Santo* il bene prezioso che ti è stato affidato ».[5] E ancora: « Dio non ci ha dato uno *spirito* di timidezza, ma di forza, di carità e di prudenza ».[6] Non uno spirito di timidezza, ma di *prudenza*. Qualcuno pensa che la prudenza è la virtù "dogana", che ferma tutto per non sbagliare. No, la prudenza è virtù cristiana, è virtù di vita, anzi, la virtù del governo. E Dio ci ha dato questo spirito di prudenza. Paolo mette la prudenza all'opposto della timidezza. Che cos'è allora questa prudenza dello Spirito? Come insegna il Catechismo, la prudenza « non si confonde con la timidezza o la paura », ma « è la virtù che dispone a discernere in ogni circostanza il nostro vero bene e a scegliere i mezzi adeguati ».[7] La prudenza non è indecisione, non è un atteggiamento difensivo. È la virtù del Pastore, che, per servire con saggezza, sa discernere, sensibile alla novità dello Spirito. Allora ravvivare il dono nel fuoco dello Spirito è il contrario di lasciar andare avanti le cose senza far nulla. Ed essere *fedeli alla novità dello Spirito* è una grazia che dobbiamo chiedere nella preghiera. Egli, che fa nuove tutte le cose, ci doni la sua *prudenza audace*; ispiri il nostro Sinodo a rinnovare i cammini per la Chiesa in Amazzonia, perché non si spenga il fuoco della missione.

Il fuoco di Dio, come nell'episodio del roveto ardente, brucia ma non consuma.[8] È fuoco d'amore che illumina, riscalda e dà vita, non fuoco che divampa e divora. Quando senza amore e senza rispetto si divorano popoli e culture, non è il fuoco di Dio, ma del mondo. Eppure quante volte il dono di Dio non è stato offerto ma imposto, quante volte c'è stata colonizzazione anziché evangelizzazione! Dio ci preservi dall'avidità dei nuovi colonialismi.

[4] Benedetto XVI, Esort. ap. postsin. *Verbum Domini*, 95.
[5] *2 Tm* 1, 14.
[6] v. 7.
[7] N. 1806.
[8] Cfr *Es* 3, 2.

Il fuoco appiccato da interessi che distruggono, come quello che recentemente ha devastato l'Amazzonia, non è quello del Vangelo. Il fuoco di Dio è calore che attira e raccoglie in unità. Si alimenta con la condivisione, non coi guadagni. Il fuoco divoratore, invece, divampa quando si vogliono portare avanti solo le proprie idee, fare il proprio gruppo, bruciare le diversità per omologare tutti e tutto.

Ravvivare il dono; accogliere la prudenza audace dello Spirito, fedeli alla sua novità; San Paolo rivolge un'ultima esortazione: «Non vergognarti di dare testimonianza ma, con la forza di Dio, soffri con me per il Vangelo».[9] Chiede di testimoniare il Vangelo, di soffrire per il Vangelo, in una parola di *vivere* per il Vangelo. L'annuncio del Vangelo è il criterio principe per la vita della Chiesa: è la sua missione, la sua identità. Poco dopo Paolo scrive: «Sto per essere versato in offerta».[10] Annunciare il Vangelo è vivere l'offerta, è testimoniare fino in fondo, è farsi tutto per tutti,[11] è amare fino al martirio. Ringrazio Dio perché nel Collegio Cardinalizio ci sono alcuni fratelli Cardinali martiri, che hanno saggiato, nella vita, la croce del martirio. Infatti, sottolinea l'Apostolo, si serve il Vangelo non con la potenza del mondo, ma con la sola *forza di Dio*: restando sempre *nell'amore umile*, credendo che l'unico modo per possedere davvero la vita è perderla per amore.

Cari fratelli, guardiamo insieme a Gesù Crocifisso, al suo cuore squarciato per noi. Iniziamo da lì, perché da lì è scaturito *il dono* che ci ha generato; da lì è stato effuso *lo Spirito che rinnova*.[12] Da lì sentiamoci chiamati, tutti e ciascuno, a dare la vita. Tanti fratelli e sorelle in Amazzonia portano croci pesanti e attendono la consolazione liberante del Vangelo, la carezza d'amore della Chiesa. Tanti fratelli e sorelle in Amazzonia hanno speso la loro vita. Permettetemi di ripetere le parole del nostro amato Cardinale Hummes: quando arriva in quelle piccole città dell'Amazzonia, va nei cimiteri a cercare la tomba dei missionari. Un gesto della Chiesa per coloro che hanno speso la vita in Amazzonia. E poi, con un po' di furbizia, dice al Papa: "Non si dimentichi di loro. Meritano di essere canonizzati". Per loro, per questi che stanno dando la vita adesso, per quelli che hanno speso la propria vita, con loro, camminiamo insieme.

[9] *2 Tm* 1, 8.
[10] 4, 6.
[11] Cfr *1 Cor* 9, 22.
[12] Cfr *Gv* 19, 30.

III

In Sancta Missa cum Ritu Canonizationis V Beatorum.*

«La tua fede ti ha salvato».[1] È il punto di arrivo del Vangelo odierno, che ci mostra *il cammino della fede*. In questo percorso di fede vediamo tre tappe, segnalate dai lebbrosi guariti, i quali *invocano*, *camminano* e *ringraziano*.

Anzitutto, *invocare*. I lebbrosi si trovavano in una condizione terribile, non solo per la malattia che, diffusa ancora oggi, va combattuta con tutti gli sforzi, ma per l'esclusione sociale. Al tempo di Gesù erano ritenuti immondi e in quanto tali dovevano stare isolati, in disparte.[2] Vediamo infatti che, quando vanno da Gesù, "si fermano a distanza".[3] Però, anche se la loro condizione li mette da parte, invocano Gesù, dice il Vangelo, «ad alta voce».[4] Non si lasciano paralizzare dalle esclusioni degli uomini e gridano a Dio, che non esclude nessuno. Ecco come si accorciano le distanze, come ci si rialza dalla solitudine: non chiudendosi in sé stessi e nei propri rimpianti, non pensando ai giudizi degli altri, ma invocando il Signore, perché il Signore ascolta il grido di chi è solo.

Come quei lebbrosi, anche noi abbiamo bisogno di guarigione, tutti. Abbiamo bisogno di essere risanati dalla sfiducia in noi stessi, nella vita, nel futuro; da molte paure; dai vizi di cui siamo schiavi; da tante chiusure, dipendenze e attaccamenti: al gioco, ai soldi, alla televisione, al cellulare, al giudizio degli altri. Il Signore libera e guarisce il cuore, *se lo invochiamo*, se gli diciamo: "Signore, io credo che puoi risanarmi; guariscimi dalle mie chiusure, liberami dal male e dalla paura, Gesù". I lebbrosi sono i primi, in questo Vangelo, a invocare il nome di Gesù. Poi lo faranno anche un cieco e un malfattore sulla croce: gente bisognosa invoca il nome di Gesù, che significa *Dio salva*. Chiamano Dio per nome, in modo diretto, spontaneo. Chiamare per nome è segno di confidenza, e al Signore piace. La fede cresce così, con l'invocazione fiduciosa, portando a Gesù quel che siamo, a

* Die 13 Octobris 2019.

[1] *Lc* 17, 19.

[2] Cfr *Lv* 13, 46.

[3] Cfr *Lc* 17, 12.

[4] v. 13.

cuore aperto, senza nascondere le nostre miserie. Invochiamo con fiducia ogni giorno il nome di Gesù: Dio salva. Ripetiamolo: è pregare, dire "Gesù" è pregare. La preghiera è la porta della fede, la preghiera è la medicina del cuore.

La seconda parola è *camminare.* È la seconda tappa. Nel breve Vangelo di oggi compaiono una decina di verbi di movimento. Ma a colpire è soprattutto il fatto che i lebbrosi non vengono guariti quando stanno fermi davanti a Gesù, ma dopo, mentre camminano: «Mentre essi andavano furono purificati», dice il Vangelo.[5] Vengono guariti andando a Gerusalemme, cioè mentre affrontano un cammino in salita. È nel cammino della vita che si viene purificati, un cammino che è spesso in salita, perché conduce verso l'alto. La fede richiede un cammino, un'uscita, fa miracoli se usciamo dalle nostre certezze accomodanti, se lasciamo i nostri porti rassicuranti, i nostri nidi confortevoli. La fede aumenta col dono e cresce col rischio. La fede procede quando andiamo avanti equipaggiati di fiducia in Dio. La fede si fa strada attraverso passi umili e concreti, come umili e concreti furono il cammino dei lebbrosi e il bagno nel fiume Giordano di Naaman.[6] È così anche per noi: avanziamo nella fede con l'amore umile e concreto, con la pazienza quotidiana, invocando Gesù e andando avanti.

C'è un altro aspetto interessante nel cammino dei lebbrosi: si muovono *insieme*. «Andavano» e «furono purificati», dice il Vangelo,[7] sempre al plurale: la fede è anche camminare insieme, mai da soli. Però, una volta guariti, nove vanno per conto loro e solo uno torna a ringraziare. Gesù allora esprime tutta la sua amarezza: «E gli altri dove sono?».[8] Sembra quasi che chieda conto degli altri nove all'unico che è tornato. È vero, è compito nostro – di noi che siamo qui a "fare Eucaristia", cioè a *ringraziare* –, è compito nostro prenderci cura di chi ha smesso di camminare, di chi ha perso la strada: siamo custodi dei fratelli lontani, tutti noi! Siamo intercessori per loro, siamo responsabili per loro, chiamati cioè a rispondere di loro, a prenderli a cuore. Vuoi crescere nella fede? Tu, che sei oggi qui, vuoi crescere nella fede? Prenditi cura di un fratello lontano, di una sorella lontana.

[5] v. 14.
[6] Cfr *2 Re* 5, 14-17.
[7] v. 14.
[8] v. 17.

Invocare, camminare e *ringraziare*: è l'ultima tappa. Solo a quello che ringrazia Gesù dice: «*La tua fede ti ha salvato*».[9] Non è solo sano, è anche salvo. Questo ci dice che il punto di arrivo non è la salute, non è lo stare bene, ma l'incontro con Gesù. La salvezza non è bere un bicchiere d'acqua per stare in forma, è andare alla sorgente, che è Gesù. Solo Lui libera dal male, e guarisce il cuore, solo l'incontro con Lui salva, rende la vita piena e bella. Quando s'incontra Gesù nasce spontaneo il "grazie", perché si scopre la cosa più importante della vita: non ricevere una grazia o risolvere un guaio, ma abbracciare il Signore della vita. E questa è la cosa più importante della vita: abbracciare il Signore della vita.

È bello vedere che quell'uomo guarito, che era un samaritano, esprime la gioia con tutto sé stesso: loda Dio a gran voce, si prostra, ringrazia.[10] Il culmine del cammino di fede è vivere rendendo grazie. Possiamo domandarci: noi che abbiamo fede, viviamo le giornate come un peso da subire o come una lode da offrire? Rimaniamo centrati su noi stessi in attesa di chiedere la prossima grazia o troviamo la nostra gioia nel rendere grazie? Quando ringraziamo, il Padre si commuove e riversa su di noi lo Spirito Santo. Ringraziare non è questione di cortesia, di galateo, è questione di fede. Un cuore che ringrazia rimane giovane. Dire: "Grazie, Signore" al risveglio, durante la giornata, prima di coricarsi è l'antidoto all'invecchiamento del cuore, perché il cuore invecchia e si abitua male. Così anche in famiglia, tra sposi: ricordarsi di dire grazie. Grazie è la parola più semplice e benefica.

Invocare, camminare, ringraziare. Oggi ringraziamo il Signore per i nuovi Santi, che hanno camminato nella fede e che ora invochiamo come intercessori. Tre di loro sono suore e ci mostrano che la vita religiosa è un cammino d'amore nelle periferie esistenziali del mondo. Santa Marguerite Bays, invece, era una sarta e ci rivela quant'è potente la preghiera semplice, la sopportazione paziente, la donazione silenziosa: attraverso queste cose il Signore ha fatto rivivere in lei, nella sua umiltà, lo splendore della Pasqua. È la santità del quotidiano, di cui parla il santo Cardinale Newman, che disse: «Il cristiano possiede una pace profonda, silenziosa, nascosta, che il mondo non vede. [...] Il cristiano è gioioso, tranquillo, buono, amabile,

[9] v. 19.
[10] Cfr vv. 15-16.

cortese, ingenuo, modesto; non accampa pretese, [...] il suo comportamento è talmente lontano dall'ostentazione e dalla ricercatezza che a prima vista si può facilmente prenderlo per una persona ordinaria».[11] Chiediamo di essere così, "luci gentili" tra le oscurità del mondo. Gesù, «resta con noi e noi cominceremo a brillare come Tu brilli, a brillare in modo da essere una luce per gli altri».[12] Amen.

[11] *Parochial and Plain Sermons*, V,5.

[12] *Meditations on Christian Doctrine*, VII,3.

IV

108. En vista a ofrecer a los futuros presbíteros de las Iglesias en la Amazonía una formación con rostro amazónico, inserta y adaptada en la realidad, contextualizada y capaz de responder a los numerosos desafíos pastorales y misioneros, proponemos un plan de formación en línea con los desafíos de las Iglesias locales y la realidad de la Amazonía. Ha de incluir en los contenidos académicos disciplinas que aborden la ecología integral, la eco-teología, la teología de la creación, las teologías indias, la espiritualidad ecológica, la histórica de la Iglesia en la Amazonía, la antropología cultural amazónica, etc. Los centros de formación a la vida presbiteral y consagrada deben insertarse, preferencialmente, en la realidad amazónica, en vista a favorecer el contacto

del joven amazónico en formación con su realidad, mientras se prepara para su futura misión, garantizando así que el proceso de formación no se distancie del contenido vital de las personas y su cultura, como también ofreciendo a otros jóvenes no amazónicos la oportunidad de hacer parte de su formación en la Amazonía, fomentando así las vocaciones misioneras.

f. La Eucaristía fuente y culmen de comunión sinodal

109. Según el Concilio Vaticano II, la participación en la Eucaristía es la fuente y el culmen de toda vida cristiana; es símbolo de esa unidad del Cuerpo Místico; es el centro y la culminación de toda la vida de la comunidad cristiana. La Eucaristía contiene todo el bien espiritual de la Iglesia; es la fuente y la culminación de toda evangelización. Hagamos eco de la frase de San Juan Pablo II: « La Iglesia vive de la Eucaristía » (*Ecclesia de Eucharistia*, 1). La Instrucción de la Congregación para el Culto Divino *Redemptionis Sacramentum* (2004) insiste en que los fieles disfruten del derecho a tener la celebración eucarística tal como se establece en los libros y normas litúrgicas. Pero parece extraño hablar del derecho a celebrar una Eucaristía según lo prescrito, por no hablar del derecho más fundamental de acceso a la Eucaristía para todos: « En la Eucaristía la plenitud ya se ha realizado, y es el centro vital del universo, el centro lleno de amor y vida inagotable. Unido al Hijo encarnado, presente en la Eucaristía, todo el cosmos da gracias a Dios. En efecto, la Eucaristía es en sí misma un acto de amor cósmico » (*LS* 236).

110. Existe un derecho de la comunidad a la celebración, que deriva de la esencia de la Eucaristía y de su lugar en la economía de la salvación. La vida sacramental es la integración de las diversas dimensiones de la vida humana en el Misterio Pascual, que nos fortalece. Por eso las comunidades vivas claman verdaderamente por la celebración de la Eucaristía. Ella es, sin duda, punto de llegada (culmen y consumación) de la comunidad; pero es, a la vez, punto de partida: de encuentro, de reconciliación, de aprendizaje y catequesis, de crecimiento comunitario.

111. Muchas de las comunidades eclesiales del territorio amazónico tienen enormes dificultades para acceder a la Eucaristía. En ocasiones pasan no sólo meses sino, incluso, varios años antes de que un sacerdote pueda

regresar a una comunidad para celebrar la Eucaristía, ofrecer el sacramento de la reconciliación o ungir a los enfermos de la comunidad. Apreciamos el celibato como un don de Dios (cf. *Sacerdotalis Caelibatus*, 1) en la medida que este don permite al discípulo misionero, ordenado al presbiterado, dedicarse plenamente al servicio del Pueblo Santo de Dios. Estimula la caridad pastoral y rezamos para que haya muchas vocaciones que vivan el sacerdocio célibe. Sabemos que esta disciplina "no es exigida por la naturaleza misma del sacerdocio" (*PO* 16), aunque tiene muchas razones de conveniencia con el mismo. En su encíclica sobre el celibato sacerdotal san Pablo VI mantuvo esta ley y expuso motivaciones teológicas, espirituales y pastorales que la sustentan. En 1992, la Exhortación Apostólica postsinodal de san Juan Pablo II sobre la formación sacerdotal confirmó esta tradición en la Iglesia latina (cf. *PDV* 29). Considerando que la legítima diversidad no daña la comunión y la unidad de la Iglesia, sino que la manifiesta y sirve (cf. *LG* 13; *OE* 6), lo que da testimonio de la pluralidad de ritos y disciplinas existentes, proponemos establecer criterios y disposiciones de parte de la autoridad competente, en el marco de la *Lumen Gentium* 26, de ordenar sacerdotes a hombres idóneos y reconocidos de la comunidad, que tengan un diaconado permanente fecundo y reciban una formación adecuada para el presbiterado, pudiendo tener familia legítimamente constituida y estable, para sostener la vida de la comunidad cristiana mediante la predicación de la Palabra y la celebración de los Sacramentos en las zonas más remotas de la región amazónica. A este respecto, algunos se pronunciaron por un abordaje universal del tema.

Nuevos caminos para la sinodalidad eclesial

a. Estructuras sinodales regionales en la Iglesia amazónica

112. La mayoría de las Diócesis, Prelaturas y Vicariatos de la Amazonía tienen extensos territorios, pocos ministros ordenados y escasez de recursos financieros, pasando por dificultades para sostener la misión. El "costo amazónico" repercute seriamente sobre la evangelización. Ante esta realidad es necesario replantearse la forma de organizar las iglesias locales, repensar las estructuras de comunión en los niveles provinciales, regionales, nacionales y, también, desde la Panamazonía. Por ello, es necesa-

rio articular espacios sinodales y generar redes de apoyo solidario. Urge superar las fronteras que la geografía impone y trazar puentes que unan. El documento de Aparecida ya insistía que las Iglesias locales generen formas de asociación interdiocesana en cada nación o entre países de una región y que alimenten una mayor cooperación entre las Iglesias hermanas (cf. *DAp* 182). En miras a una Iglesia presente, solidaria y samaritana proponemos: redimensionar las extensas áreas geográficas de las diócesis, vicariatos y "prelacías"; crear un fondo Amazónico para el sostenimiento de la evangelización; sensibilizar y estimular a las agencias internacionales de cooperación católica para que apoyen, más allá de los proyectos sociales, a las actividades de evangelización.

113. En el 2015, al conmemorar el 50º aniversario de la Institución del Sínodo de los Obispos por parte de san Pablo VI, el Papa Francisco invitó a renovar la comunión sinodal en los distintos niveles de la vida de la Iglesia: local, regional y universal. La Iglesia está desarrollando una renovada comprensión de la sinodalidad a escala regional. Apoyada en la tradición, la Comisión Teológica Internacional expresa: "El nivel regional en el ejercicio de la sinodalidad es el que se da en reagrupaciones de Iglesias particulares presentes en una misma región: una provincia –como sucedía sobre todo en los primeros siglos de la Iglesia– o un país, un continente o parte de él" (CTI, *La sinodalidad en la vida y en la misión de la Iglesia*, 2018, n. 85). El ejercicio de la sinodalidad en este nivel refuerza los vínculos espirituales e institucionales, favorece el intercambio de dones y ayuda a proyectar criterios pastorales comunes. La labor conjunta en la pastoral social de las diócesis situadas en las fronteras de los países debe ser fortalecida para afrontar problemas comunes que superan lo local, como la explotación de las personas y del territorio, el narcotráfico, la corrupción, el tráfico de personas, etc. El problema migratorio necesita ser afrontado de forma coordinada por las iglesias de las fronteras.

b. Universidades y nuevas estructuras sinodales amazónicas

114. Proponemos que sea establecida una Universidad Católica Amazónica basada en la investigación interdisciplinaria (incluyendo estudios de campo), en la inculturación y en el diálogo intercultural; que la teología in-

culturada incluya la formación conjunta para ministerios laicales y formación de sacerdotes, basada principalmente en la Sagrada Escritura. Las actividades de investigación, educación y extensión deben incluir programas de estudio ambientales (conocimiento teórico ambientado con la sabiduría de los pueblos que viven en la región amazónica) y estudios étnicos (descripción de los diferentes idiomas, etc.). La formación de docentes, la enseñanza y la producción de material didáctico debe respetar las costumbres y tradiciones de los pueblos indígenas, elaborando material didáctico inculturado y realizando actividades de extensión en diferentes países y regiones. Pedimos a las universidades católicas de América Latina que ayuden a la creación de la Universidad Católica Amazónica y acompañen su desarrollo.

c. Organismo Eclesial Regional Postsinodal para la región amazónica

115. Proponemos crear un organismo episcopal que promueva la sinodalidad entre las iglesias de la región, que ayude a delinear el rostro amazónico de esta Iglesia y que continúe la tarea de encontrar nuevos caminos para la misión evangelizadora, en especial incorporando la propuesta de la ecología integral, afianzando así la fisonomía de la Iglesia amazónica. Se trataría de un organismo episcopal permanente y representativo que promueva la sinodalidad en la región amazónica, articulado con el CELAM, con su estructura propia, en una organización simple y también articulado con la REPAM. De esta manera puede ser el cauce eficaz para asumir, desde el territorio de la Iglesia latinoamericana y caribeña, muchas de las propuestas surgidas en este Sínodo. Sería el nexo que articule redes e iniciativas eclesiales y socioambientales a nivel continental e internacional.

d. Rito para los pueblos originarios

116. El Concilio Vaticano II abrió espacios para el pluralismo litúrgico para «variaciones y adaptaciones legítimas a los diversos grupos, regiones, pueblos» (*SC* 38). En este sentido, la liturgia debe responder a la cultura para que sea fuente y culmen de la vida cristiana (cf. *SC* 10) y para que se sienta ligada a los sufrimientos y a las alegrías del pueblo. Debemos dar una respuesta auténticamente católica a la petición de las comunidades amazónicas de adaptar la liturgia valorando la cosmovisión, las tradiciones, los símbolos

y los ritos originarios que incluyan dimensiones trascendentes, comunitarias y ecológicas.

117. En la Iglesia Católica hay 23 Ritos diferentes, signo claro de una tradición que desde los primeros siglos ha intentado inculturar los contenidos de la fe y su celebración a través de un lenguaje lo más coherente posible con el misterio que se quiere expresar. Todas estas tradiciones tienen su origen en función de la misión de la Iglesia: «Las Iglesias de una misma área geográfica y cultural llegaron a celebrar el Misterio de Cristo a través de expresiones particulares, culturalmente tipificadas: en la tradición del "depósito de la fe" (*2 Tm* 1, 14), en el simbolismo litúrgico, en la organización de la comunión fraterna, en la inteligencia teológica de los misterios, y en tipos de santidad» (*Catecismo de la Iglesia Católica* 1202; cf. también 1200-1206).

118. Es necesario que la Iglesia, en su incansable labor evangelizadora, trabaje para que el proceso de inculturación de la fe, se exprese en las formas más coherentes, a fin de que también pueda celebrarse y vivirse según las lenguas propias de los pueblos amazónicos. Urge formar comités de traducciones y redacción de textos bíblicos y litúrgicos en las lenguas propias de los diferentes lugares, con los recursos necesarios, preservando la materia de los sacramentos y adaptándolos a la forma, sin perder de vista lo que sea esencial. En este sentido es preciso fomentar la música y el canto, todo lo cual es aceptado y fomentado por la liturgia.

119. El nuevo organismo de la Iglesia en la Amazonía debe constituir una comisión competente para estudiar y dialogar, según usos y costumbres de los pueblos ancestrales, la elaboración de un rito amazónico, que exprese el patrimonio litúrgico, teológico, disciplinario y espiritual amazónico, con especial referencia a lo que la *Lumen Gentium* afirma para las Iglesias orientales (cf. *LG* 23). Esto se sumaría a los ritos ya presentes en la Iglesia, enriqueciendo la obra de evangelización, la capacidad de expresar la fe en una cultura propia y el sentido de descentralización y de colegialidad que puede expresar la catolicidad de la Iglesia. También podría estudiar y proponer cómo enriquecer ritos eclesiales con el modo en que estos pueblos cuidan su territorio y se relacionan con sus aguas.

CONCLUSIÓN

120. Concluimos bajo el amparo de María, Madre de la Amazonía, venerada con diversas advocaciones en toda la región. Con su intercesión, pedimos que este Sínodo sea una expresión concreta de la sinodalidad, para que la vida plena que Jesús vino a traer al mundo (cf. *Jn* 10, 10) llegue a todos, especialmente a los pobres, y contribuya al cuidado de la "casa común". Que María, Madre de la Amazonía, acompañe nuestro caminar; a San José, custodio fiel de María y de su hijo Jesús, le consagramos nuestra presencia eclesial en la Amazonía, Iglesia con rostro amazónico y en salida misionera.

Ciudad del Vaticano, 26 de octubre de 2019

Votación del Documento Final

Nº	Placet	Non Placet
1.	159	2
2.	165	2
3.	165	4
4.	165	5
5.	164	3
6.	168	1
7.	166	2
8.	168	1
9.	157	9
10.	163	3
11.	161	7
12.	165	2
13.	167	2
14.	159	9
15.	162	7
16.	167	3
17.	169	2

Nº	Placet	Non Placet
18.	167	3
19.	167	3
20.	169	1
21.	167	0
22.	168	3
23.	166	5
24.	166	7
25.	160	9
26.	170	1
27.	159	8
28.	167	3
29.	168	3
30.	168	2
31.	164	6
32.	167	3
33.	166	5
34.	169	3

Nº	Placet	Non Placet
35.	163	5
36.	159	10
37.	165	5
38.	163	7
39.	159	12
40.	158	13
41.	167	4
42.	163	6
43.	166	5
44.	153	14
45.	166	4
46.	168	4
47.	165	5
48.	163	5
49.	164	7
50.	164	5
51.	164	6
52.	168	2
53.	166	4
54.	150	17
55.	157	11
56.	158	10
57.	163	7
58.	164	6
59.	168	2
60.	167	3
61.	158	10
62.	161	9
63.	166	4
64.	152	9
65.	166	1
66.	170	1
67.	167	2
68.	161	6

Nº	Placet	Non Placet
69.	161	7
70.	161	6
71.	166	4
72.	165	3
73.	164	4
74.	162	7
75.	165	4
76.	163	5
77.	162	7
78.	168	4
79.	164	4
80.	165	2
81.	160	9
82.	150	13
83.	152	16
84.	163	7
85.	157	11
86.	167	1
87.	169	1
88.	164	7
89.	171	1
90.	164	5
91.	165	5
92.	166	5
93.	167	6
94.	162	7
95.	158	9
96.	156	14
97.	162	6
98.	162	5
99.	161	2
100.	168	3
101.	165	5
102.	160	11

Nº	Placet	Non Placet
103.	137	30
104.	162	3
105.	164	8
106.	170	2
107.	169	3
108.	158	11
109.	154	13
110.	156	14
111.	128	41

Nº	Placet	Non Placet
112.	161	5
113.	160	5
114.	158	11
115.	145	22
116.	147	22
117.	140	27
118.	156	12
119.	140	29
120.	166	2

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

De celebratione Beatae Mariae Virginis de Loreto in Calendario Romano Generali inscribenda.

DECRETUM

Lauretanae Almae Domus veneratio inde a Medio Aevo origo fuit illius peculiaris sanctuarii, quo temporibus etiam hodiernis peregrinantes christifideles multi frequentant ad propriam fidei vitam alendam in Dei Verbum pro nobis caro factum.

Sanctuarium vero illud mysterium Incarnationis revocat inducens omnes visitantes ad plenitudinem temporis considerandam, cum misit Deus Filium suum, factum ex muliere, necnon ad meditanda et verba Angeli Evangelium nuntiantis et verba Virginis divinae vocationi respondentis. A Spiritu Sancto obumbrata, humilis ancilla Domini divinitatis domus effecta est, imago purissima sanctae Ecclesiae.

Supradictum sanctuarium, intime Sedi Apostolicae conexum, a Summis Pontificibus laudatum et in omnes gentes vulgatum, in decursu temporum praeclare valuit, haud minus quam Nazareth in Terra Sancta, ad virtutes evangelicae Sanctae Familiae collustrandas.

In illa Alma Domo, ante effigiem Redemptoris et Ecclesiae Matris, nonnulli Sancti ac Beati propriae vocationi responsum dederunt, infirmi in angustiis consolationem invocaverunt, Dei populus Beatam Mariam laudare et supplicare incepit Litaniis illis lauretanis quae per orbem terrarum diffusae sunt. Itinerantes aereo navigio praesertim caelestem patronam in ea invenerunt.

His omnibus perpensis, auctoritate sua Summus Pontifex Franciscus decrevit memoriam ad libitum Beatae Mariae Virginis de Loreto in Calendarium Romanum inscribendam esse die 10 decembris, die etenim quo

Laureti festum agitur, et quotannis celebrandam. Haec celebratio omnes, praecipue familias, iuvenes et religiosos, adiuvabit ad virtutes imitandas perfectae Evangelii discipulae, Virginis Matris quae concipiens Caput Ecclesiae etiam nos in sua accepit.

Nova igitur memoria cunctis Calendariis Librisque liturgicis pro Missae et Liturgiae Horarum celebratione erit inserenda; textus liturgici adhibendi hoc decreto adnexi, cura Coetuum Episcoporum vertendi, approbandi et post huius Dicasterii confirmationem edendi sunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 7 mensis Octobris 2019, in memoria Beatae Mariae Virginis a Rosario.

Robertus Card. Sarah
Praefectus

✠ Arturus Roche
Archiepiscopus *a Secretis*

Prot. N. 404/19

Adnexus

ADDITIONES IN LIBRIS LITURGICIS RITUS ROMANI DE MEMORIA AD LIBITUM B. MARIAE VIRGINIS DE LORETO

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALEM

December
10 B. Mariae Virginis de Loreto

IN MISSALE ROMANUM

Die 10 decembris

Beatae Mariae Virginis de Loreto

De Communi Beatae Mariae Virginis

Collecta

Deus, qui promíssa Pátribus adímplens
beátam Vírginem Maríam elegísti,
ut Mater fíeret Salvatóris,

concéde nobis illíus exémpla sectári,
cuius humílitas tibi plácuit,
et oboediéntia nobis prófuit.
Per Dóminum.

IN ORDINEM LECTIONUM MISSAE

Dei 10 decembris

689 bis **Beatae Mariae Virginis de Loreto**
De Communi Beatae Mariae Virginis.

LECTIO I	Is 7,10-14; 8,10, n. 707, 7.
PS. RESP.	Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55, n. 709, 5.
ALLELUIA	Cf. Lc 1, 28, n. 711, 1.
EVANG.	Lc 1, 26-38, n. 712, 4.

IN LITURGIAM HORARUM

Die 10 decembris

BEATAE MARIAE VIRGINIS DE LORETO

Alma Domus – quam chronica anno 1465 exarata dicit inventam nocte inter 9 et 10 Decembris 1294, in ipso colle ubi adhuc est – origo est devotionis marianae quae in sanctuario Lauretano ostenditur, memoria mysterii incarnationis atque exemplorum evangelicorum Sanctae Familiae Nazarethanae. Multi Summi Pontifices apostolicam curam sanctuario Virginis Lauretanae tribuerunt, quae a Benedicto XV patrona aeronautarum proclamata est. Litaniae vero Lauretanae per universam Ecclesiam diffunduntur.

De Communi B. Mariae Virginis: Liturgia Horarum I, praeter sequentia.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístola sancti Ioánnis Pauli II papae pro VII saeculári anniversário Almae Domus Lauretánae

(Lettera a Mons. P. Macchi, 15 agosto 1993: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, XVI/2, 526-537)

Maria spatium corporale spiritualeque Incarnationis

Lauretána Alma Domus, non "relíquia" tantum est, sed pótius pretiósa ac vera "icóna". "Icóna" non veritátum a sénsibus sepositárum, sed uníus evéntus et mystérii, id est *Incarnatiónis Verbi*.

Incarnátio quidem, quae intra has sacras paríetes memorátur, statim próprium germanúmque sensum bíblicum recúperat; non enim de mera doctrína ágitur, quae ad uniónem inter divínum et humánum áttinet, sed pótius de evéntu, qui in exácto témporis moménto ac definíto loco áccidit, sicut verba Apóstoli mirabíliter manifléstant: *Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere*.

María est Múlier; illa est, ut ita dicámus, spátium eódem témpore corpóreum et spirituále in quo Incarnátio facta est. sed Domus étiam, in qua vixit, huius rei evocátio est manifésta.

Memória vitae abscónditae Nazarethánae res certas évocat et vitae próprias ómnium hóminum mulierúmque. Ea nempe sensum sanctitátis famíliae rénovat, repénte osténdens univérsam summam virtútum, quae hódie tam minitátae sunt, id est fidélitas, vitae obséquium, educátio filiórum, cura oratiónis, et quas christiánae famíliae dénuo inveníre possunt intra paríetes Domus illíus sanctae, primae atque exímiae históriae ecclésiae domésticae.

Domus illa alma commémorat, eódem témpore, magnitúdinem vocatiónis ad vitam consecrátam ac virginitátem pro Dei Regno, quae praeclárum hábuit inítium in persóna Maríae, Vírginis et Matris.

Iuvénibus deínde, qui innumerábiles petunt peregrinántes ad Domum Matris, iteráre cúpimus ea verba quae olim eis díximus: «Ite ad Maríam, ite cum María ... in corde vestro eius "fiat" résonet». Utinam iúvenes, iuxta praecépta Domus Nazarethánae, renováre váleant suam diligéntiam in cathólico laicórum órdine ad Christum in córdibus, famíliis, sciéntia atque societáte restituéndum.

Iustus ímpetus nostri témporis ad agnoscéndum pro mulíere illum statum qui ad eam pértinet in Ecclésia et societáte, hic vero aptíssimam opportu-

nitátem pervestigatiónis ínvenit. Quia *misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere*, omnes mulíeres, in María, ad talem dignitátem ita elevátae sunt ut áliam illa maiórem cogitári néqueat.

Nulla theórica considerátio, praetérea, dignitátem humáni labóris exaltáre póterit magis quam scire quod Ipse Fílius Dei Názareth laborávit et vocári permísit *fabri fílius*.

Quómodo, dénique, non mentiónem fácere possímus "electiónis páuperum", quam Ecclésia in Concílio fecit et magis magísque clare póstea confirmávit? Austérae et modéstae sanctae Domus paríetes nos ádmonent Deum Ipsum hanc electiónem inauguravísse in María, quae, sicut légitur in textum conciliarem, «praecéllit inter húmiles ac páuperes Dómini, qui salútem cum fidúcia ab Eo sperant et accípiunt».

Omni témpore étenim, ad paupertátem et passiónem quod áttinet, locum praecípuum in história Sanctuárii aegróti habuérunt, qui, primi ex ómnibus, peregrinántes ad Almam Domum accurrérunt et eius famam in géntibus diffudérunt. Ubinam céterum illi mélius excipiántur, nisi in Domo Illíus quam in Litaníis Lauretánis invocámus sicut "salútem infirmórum" et "consolatrícem afflictórum"?

«Hoc Sanctuárium Lauretánum – sicut dixit Ioánnes XXIII – semper pátula fenéstra in univérsum orbem terrárum esse váleat, voces illas arcánas révocans, quae animárum, familiárum populorúmque sanctificatiónem annúntiant».

Responsorium

R/. Vere benedícta tu in muliéribus quia Deus in te pósuit tabernáculum suum. * Consecrábis Dómino multitúdines populórum.

V/. Quem caeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. * Consecrábis.

Oratio

Deus, qui promíssa Pátribus adímplens Beátam Vírginem Maríam elegísti, ut matrem fíeret Salvatóris, concéde nobis illíus exémpla sectári, cuius humílitas tibi plácuit, et oboediéntia nobis prófuit. Per Dóminum.

IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

Addi debet ad diem 10 Decembris primo loco elogium quod sequitur:

Beátae Maríae Vírginis de *Loreto*, in Itália, cuius venerátio ducit ad mystérium Incarnatiónis Verbi Dei pro salúte nostra contemplándum, nos docens ad vocatiónem christiánam aequo ánimo assentíri.

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

SANCTI BENEDICTI AD TRUENTUM - RIPANA - MONTIS ALTI

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Perdolentis a S. Vulnere Lateris (in saeculo: Mariae Luciani), Religiosae professae Congregationis Sororum a Passione Iesu Christi (1920-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Dolor nihil aliud est nisi amorosus Christi amplexus, cum eius coronae spinarum punctione, sanguinis eius cum stilla, cum gemitu eius Passionis, scissura eius mortis colluctationis. Quo magis patimur eo magis amamus, est enim dolor amoris mensura ».

Summus amor erga Christum crucifixum, uti ostenditur in vita ac operibus humilis Servae Dei Mariae Perdolentis a S. Vulnere Lateris (in saeculo: Mariae Luciani), iam in nominis electione, eius in inceptu vitae religiosae, invenitur, scilicet Perdolens eligitur ut Calvaria esset eius consueta habitatio.

Serva Dei die 2 mensis Maii anno 1920 Veregrae Firmanae, Picenorum in provincia, est orta ex familia agricolarum quae ab omnibus sua eximia industria ac magno fidei sensu existimabatur. Duos dies post natalem suum ad sacrum fontem lustrata est, die 28 mensis Martii anno 1927 sacram confirmationem recepit, die autem 6 mensis Maii eiusdem anni primitus ad sacram mensam accessit. Maria suam iuventutem cognovit sine difficultate vel quassatione quia eius familia salutaris ac religiosa erat. Cum ad decimum tertium annum suae vitae pervenit, primum in animo concupivit se Deo consecrare clausurae monasterium ingrediendo, ad vicesimum annum autem eius vocatio clare et vehementer omnino prorupit, sic die 4 mensis Iunii anno 1945, familiaribus salutatis, a matre comitata ad monasterium monialium claustralium Ripae Transonis profecta est.

Serva Dei inter consorores non tantum invenit novam familiam sed statim Instituti regulis se accommodavit. Potissimum illi rationi communitariae, quae diem monialium regebat et metiebatur et cui fundamentalia erant vitae contemplationis observantia et paenitentia, laeto animo tam meditationis quam absoluti silentii horis satisfecit. Hoc autem religiosissimum fuit

praeter tempora recreationis, observavit absentiam illorum, qui in mundo vitam degebant, paupertatis spiritum necnon solitudinis servans. Eodem tempore praestantissima fuit in matutina officii divini celebratione ac in pronuntiatione quarundam singularium orationum, uti etiam in orationibus quae consueto more in die sequebantur.

Per plus quam dimidiam partem anni in monasterio abstinentia, ieiunium ac disciplina severe asservabantur. Uti aliae consorores et ipsa sua sponte modestum habitaculum simplicemque vestem maluit, enim unaquaeque monialis super culcitram stramenticiam cubabat et vestem e rudi tela induebat, calceamenta autem erant molestissimae corio crepide vel ligneae soleae. Serva Dei feliciter omnes probationes superavit, quibus candidatae ac noviciae subiciebantur, ex iis erat opus manuale, recessio in cella necnon aliae graves monasticae consuetudines. Potuit quidem ad effectum perducere suum magnum desiderium consecrationis, scilicet pro Deo tantum et omnino vivere.

Post unum annum novitiatus, nonnullis fragilis valetudinis impedimentis superatis, die 15 mensis Novembris anno 1947 Serva Dei religiosam professionem edidit. Eius tamen valetudo magis magisque in peius progrediebatur ob correptam phthisim pro qua nullum amplius valuit medicamentum. Ea tamen, quamvis multae essent molestiae in corpore et in animo, singularem ostendebat vim et haud communem serenitatem.

Praecipua spiritualitas sororis Mariae Perdolentis est invenienda in proposito immolandi se perinde ac Christum crucifixum. Ex hoc proposito deveniebat eius absoluta, plena ac summa acceptatio omnium corporis laborum, de quibus loquebatur et scribebat sine difficultate ut omnes suum immensum amorem erga Iesum agnoscerent. Manifestum est et facile consentire valemus Servae Dei praecipuam curam fuisse omnino ad Crucem et ad Eucharistiam conversam, scilicet aliis verbis omnino ad Christum flexam fuisse, quem imitabatur per virtutum exercitium.

Indefessa in ascensione ad perfectionem, Serva Dei bene sciebat viam ab ea percurrendam multitudine difficultatum plenam esse. Suum tamen firmissimum fuit propositum vacillationes ac dubitationes omnino excludere, enim ei sufficiebat Iesu esse in sequela cum illa humilitate quae ei propria erat. Dicere possumus fidem ac spem eius fuisse fideles itineris comites et intimam unionem cum Deo pharum totam viam collustrantem.

Die 22 mensis Iulii anno 1954, valetudine eius desperata, Serva Dei os suum plagis vulneratum habebat et anima eius in corpore ad extremam

erat colluctationem. Die 23 mensis Iulii anno 1954 apud valetudinarium Interamnanum mortali e vita pie excessit. Aderant quidam sacerdos, Superiorissa, decem moniales necnon mater eius et una soror.

Fama sanctitatis perdurante, apud Curiam ecclesiasticam Sancti Benedicti ad Truentum-Ripanam-Montis Alti a die 23 mensis Iulii anno 1995 ad diem 1 mensis Novembris anno 1997 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 7 mensis Novembris anno 2001 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Serva Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Fausto cum exitu, die 16 mensis Maii anno 2017 Consultorum Theologorum Peculiaris habitus est Congressus. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 31 mensis Octobris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Perdolentis a S. Vulnere Lateris (in saeculo: Mariae Luciani), Religiosae professae Congregationis Sororum a Passione Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FOROLIVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Benedictae Bianchi Porro, Christifidelis Laicae (1936-1964)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Benedicta Bianchi Porro in loco v.d. *Dovadola*, Foroliviensi in provincia, nata est die 8 mensis Augusti anno 1936 et, ob gravem infirmam valetudinem, statim baptismum a matre recepit. Anno 1944 primo ad eucharisticam mensam accessit. Familia eius anno 1951 Sirmionem, prope lacum Benacum, migravit. Benedicta totam per vitam condicionibus morborum erat astricta, praesertim poliomyelitis, quae eam claudicantem fecit et coegit ad onerosa ac acerba orthopaedica adhibenda calceamenta; studia lycaei gessit, sed universitaria conficere non potuit. Signa enim neurofibromatosis diffusae apud eam existimata sunt et Benedicta gradatim privata est videndi ac audiendi sensu, gustatu et olfactu et immota in lectu teneri incepit. Mense Maio anni 1962, ut erat in votis, peregrinata est in Lapurdum, ubi diligentius crucem invenit veluti vocationem suam. Morbo progrediente, Benedicta communicare inchoavit per matrem, quae sciebat artificiosam litterarum formam positam signis in visu vel in usu digitarum dexterae manus, quae ei erat unus atque solus artus sensibilis. Die 23 mensis Ianuarii anno 1964 Venerabilis Serva Dei pie in Domino quievit. Summus Pontifex Ioannes Paulus II anno 1993 heroicitatem virtutum eius agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sanationem cuiusdam iuvenis subiecit, quae anno 1986 Ianuae evenerat. Die 21 mensis Augusti illius anni iuvenis scholasticus, viginti annos natus, dum duceret potentem birotam automatariam, obturatus est ab autoraeda et in terram vehementer depulsus. Repente adiuvatus ab infirmorum ministro, translatus est autoambulatorio in praesidium Valetudinarii Sancti Petri de Arena; unde cauta cum prognosi in Ianuense Valetudinarium Sancti Martini est adductus. Hic medici iudicaverunt gravissimam condicionem eius, sine ulla spe superstitis vitae; ipsi medici a parentibus eius facultatem organa ex corpore eripiendi petiverunt. Die sequenti, infirmus in veternum profundum intravit, cum pupillis mioticis contra agentibus; agebatur de responso in extensione artus superioris sinistri, minima responsione incoordinata motoria dextra in augescenti triplici flexione, *Babinski* bilaterali.

A die atrocis casus quaedam "cruciata invocationis" Venerabili Servae Dei incepta est ad infirmi sanationem petendam, de qua paucos ante dies mater iuvenis certior est facta. Propinqui ac amici se coniunxerunt cum illa et novenarium cum precibus tum personalibus tum choralibus peregerunt, in quo clinica iuvenis condicio improviso est mutata et valetudinis redintegratio eius est comperta. Ulteriores medicae investigationes validitatem eius comprobaverunt.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et iuvenis sanationem, qui deinceps naturali socialique vita pollens, sanus fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Ianuensem a die 20 mensis Novembris anno 2013 ad diem 14 mensis Martii anno 2014 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 20 mensis Iunii anno 2014 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 25 mensis Ianuarii anno 2018 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 26 mensis Aprilis anno 2018 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die 3 mensis Iulii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Card. Becciu praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Benedictae Bianchi Porro, Christifidelis Laicae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam iuvenis a "politrauma con trauma cranio-cerebrale e coma grave, verosimile danno assonale diffuso"*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

OVETENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Angeli Cuartas Cristóbal et VIII sociorum Seminarii Alumnorum († 1934-1937)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Iustus autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis, non quae est diuturna, neque annorum numero computatur; cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculta » (*Sap* 4, 7-9).

Politica socialisque condicio, in Hispania bello civili exardescente (ab anno 1936 usque ad annum 1939), in persecutionem exiit militum republicanorum erga illos qui se Catholicae Ecclesiae sodales profitebantur, cum consecratos tum laicos. Illis in rerum adiunctis, peculiari eminuit admiratione martyrium novem seminarii alumnorum, quorum sex necati sunt telis plumbivomis die 7 mensis Octobris anno 1934 Oveti, tres autem aliis in locis diebusque interfecti.

In iuvenibus Servis Dei verbum Israelis Sapientis adimpletur: vita eorum efferate oculis mundi recisa, sed coram Deo in aeternam beatitudinem translata.

Hi Servi Dei Oveti necati sunt die 7 mensis Octobris anno 1934:

1. Servus Dei Angelus Cuartas Cristóbal. Natus die 1 mensis Iunii anno 1910 in loco v.d. *Lastres*, iam a puero publicam scholam loci frequentavit et operam dedit ad magnam familiam suam sustinendam. Anno 1923 seminarium minus Vallis Dei ingressus est, deinde Ovetense maius. Postquam II Res Publica renuntiata est, parentes, alii propinqui et amici dissuaserunt ne rediret in seminarium, sed Servus Dei, qui annum quintum theologiae incohaturus erat, prompte redire statuit. Comprehensus et necatus est una cum aliis quinque seminarii alumnis.

2. Servus Dei Marianus Suárez Fernández. Natus die 8 mensis Octobris anno 1910 in loco *San Andrés de Linares*, anno 1924 ingressus est Seminarium minus Vallis Dei et anno 1929 se transtulit in Ovetense maius. Anno 1934 annum quartum theologiae incohaturus erat.

3. Servus Dei Iesus Prieto López. Natus die 28 mensis Augusti anno 1912 in pago *Bodecangas*, adulescens ingressus est Seminarium minus Vallis Dei, postea se transtulit in Ovetense maius, ubi se parabat ad tertium theologiae annum.

4. Servus Dei Caesar Gunsalvus Zurro Fanjul. Natus die 22 mensis Octobris anno 1912 in loco *Avilés*, anno 1923 ingressus est Seminarium minus Vallis Dei, postea se transtulit in Ovetense maius, ubi se parabat ad secundum theologiae annum erigendum.

5. Servus Dei Iosephus Maria Fernández Martínez. Natus in pago *Muñ*ón Cimero die 9 mensis Maii anno 1915, ingressus est Seminarium minus Vallis Dei anno 1927, postea se transtulit in Ovetense maius, ubi se parabat ad primum theologiae annum absolvendum.

6. Servus Dei Ioannes Iosephus Castañón Fernández. Natus die 6 mensis Augusti anno 1916 in loco *Moreda de Aller*, anno 1928 ingressus est Seminarium minus Vallis Dei, postea se transtulit in Ovetense maius, ubi se parabat ad tertium philosophiae annum incohandum.

Servi Dei in aliis locis necati:

7. Servus Dei Emmanuel Olay Colunga. Natus die 25 mensis Iulii anno 1911 in pago *Noreña*, anno 1926 ingressus est Seminarium minus Vallis Dei, postea se transtulit in Ovetense maius. Anno 1936 ibat ad primam Missam celebrandam una cum Máximo Prieto Martínez, novello sacerdote, in locum *Mantilla de Arzón*. Ambo deprehensi sunt die 18 mensis Iulii anno 1937 et retenti inhumaniter diversis in locis. Servus Dei die 22 mensis Septembris anno 1937 in loco *Villafria*, prope Ovetum, est necatus.

8. Servus Dei Sixtus Alonsus Hevia. Natus in loco *Poago* die 1 mensis Februarii anno 1916, ingressus est Seminarium Ovetense anno 1929. Dum ferias ageret apud familiam suam, civilis motus exarsit et, una cum patre, in paroecialem ecclesiam confugit. Libertate dimidiata obtenta, missus est ad militibus famulandum in pagum *Luanco* et denique una cum cohorte ad punitoria ergastula apud frontem aciei "rubrum" prope pagum *Cangas de Onís*. Dum alimenta dispensaret in quadam mensa pro officinarum operariis, die 27 mensis Maii anno 1937, pugione mortifere percussus est apud portum loci *Ventanielles* prope *Ponga*.

9. Servus Dei Aloisius Prado García. Natus di 4 mensis Martii anno 1914 in pago *San Martín de Laspra*, ingressus est Seminarium minus Vallis Dei anno 1930. Civili bello exardescente, denuo in familiam redire debuit ut alumnus seminarii. Cum conscius de proxima comprehensione sua esset, ad quandam familiam loci *Carriona* apud *Avilés* se recepit. Fortuito inventus, ductus

est in carcerem v.d. *Iglesiona* Gigiae, ubi plumbo interfectus est die 4 mensis Septembris anno 1936.

Horum novem iuvenum interfectores *in odium fidei* egerunt. Servi Dei necati sunt quia seminarii alumni aut sacerdotes putati. Ratio eorum necis, igitur, unice religiosa exstitit. Hi iuvenes periculi conscii erant, sed fideles Domino manere et suam fidelitatem Ecclesiae non celare maluerunt. Ad contumeliam ac mortem, digne, forti animo et maxime inconcussa spe in divina Providentia accesserunt.

Corpora eorum translata sunt in sacellum Seminarii maioris Ovetensis.

Fama martyrii horum Servorum Dei consolidata et aucta est iuxta ecclesialem communitatem. Quamobrem a die 14 mensis Decembris anno 1994 ad diem 29 mensis Novembris anno 1997 celebrata est Inquisitio dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Ovetensem et alia Rogatorialis apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem locum habuit anno 1995, quorum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 24 mensis Februarii anno 2012 est approbata. Parata *Positione*, die 14 mensis Martii anno 2016 Congressus habitus est Consultorum Historicorum. Deinde, consuetas secundum normas, disceptatum est an Servorum Dei mors verum fuisset martyrium. Die 21 mensis Iunii anno 2018 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum, positivo cum exitu, locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 2 mensis Octobris anno 2018, me Card. Angelo Becciu praesidente, agnoverunt supradictos Servos Dei suas dedisse vitas ut fideles Christo et Ecclesiae manerent.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Angeli Cuartas Cristóbal et VIII Sociorum, Seminarii Alumnorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

GERONTOPOLITANA

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Iacobi Alfredi Miller, Fratris professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum († 13.2.1982)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi iustitiae corona, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex » (*2 Tim* 4, 7-8).

Servus Dei Iacobus Alfredus Miller Domino supremo vitae dono testimonium perhibuit. Postquam fidei caritatisque *bonum certamen* certaverat, firmissima spe persecutorum dirissimam crudelitatem pertulit et in odorem suavitatis suum sanguinem profudit.

Servus Dei in pago v.d. *Stevens Point* in Visconsinia in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis die 21 mensis Septembris anno 1944 natus est. Postquam *High School*, scilicet lycaeum Fratrum Scholarum Christianarum frequentaverat, statuit eorundem Fratrum Institutum ingredi. Anno 1962 novitiatum incohavit. Religiosam professionem anno 1963 ad tempus emisit et studia sua perrexit, baccalaureatum Artium et recentium linguarum adipiscens, singulari cum peritia in Hispanico et Anglico sermone. Die 5 mensis Maii anno 1969 perpetua emisit vota.

Eodem anno postulavit ut in Americam Centralem proficisceretur. Missus est in pagum v.d. *Bluefields* in Nicaragua, ubi Anglicam linguam, mathematicam necnon religionem docuit. Anno 1974 translatus est in pagum *Puerto Cabezas* ut praeses Instituti *Bartolomé Colón*. Ob politicas quaestiones Servus Dei anno 1979 a Nicaragua discessit et, post breve intervallum in Visconsinia et in Novo Mexico, anno 1981 ad Gerontopolim in Guatimalam missus est, ubi Fratres Scholarum Christianarum regebant domum v.d. *Centro Indígena*, id est domum ad excipiendos plus quam centum et quinquaginta iuvenes aborigines, praesertim ex pauperibus regionibus rusticis et montanis. Iis iuvenibus in collegio tam theorici cursus quam professionalis institutio operibus in rusticis et in rebus pecuniariis suppeditabantur.

Cum militare regimen vigeret, quod per triginta annos civile bellum peperit, Fratres Scholarum Christianarum et maxime Servus Dei, qui Scholae praefecti vicarius erat partis indigenae, operam dederunt ut prognati

a Maya populo propriam dignitatem recuperarent. Religiosus vir Feoederatarum Civitatum Americae Septentrionalis in Guatimalam missus est ut incumberet in indigenarum institutionem.

Res politica illius nationis magis magisque difficilis fiebat, non solum ob contentionem inter militum dominationem et bellum inordinatum communistarum sed etiam ob crebras gentium discordias inter homines albos et indigenos. Iis in adiunctis, Ecclesia conata est iustitiam instaurare una cum hominum universorum iurium observantia. Propter hanc apostolicam navitatem accusabatur de societate sceleris cum excursoribus. Servi Dei martyrium iis in adiunctis venenatis consummatum est.

Die 10 mensis Februarii anno 1982 pater cuiusdam sodalis Fratrum Scholarum Christianarum ad collegium se contulit, ut enuntiaret se audivisse manipulum excursorum dictum *turmam mortis*, mortales insidias vicario praefecti scholae comparaturum esse. Servus Dei, cum similia in Nicaragua iam cognovisset, operam suam aequo animo perrexit. Die 13 mensis Februarii anno 1982, dum murum extra domum dictam *Centro Indígena* reficeret, pluribus manuballistae ictibus interfectus est. Auctores huius sceleris ex parte Guatimaltensium auctoritatum exstiterunt, percussores autem fuerunt milites vel viri ex illa *turma mortis*. Iuridica inquisitio ab auctoritatibus status fere nihil comperit et homicidium inultum evasit. Sua ex parte Servus Dei bene cognitum habuit periculum in quo versabatur, propter suum apostolatum.

Cum fama martyrii in communitate propagata esset, a die 1 mensis Septembris ad diem 10 mensis Octobris anno 2009 apud Curiam ecclesiasticam Gerontopolitanam Inquisitio dioecesana celebrata est, cui accesserunt Inquisitiones Rogatoriales apud Archidioecesim Chicagiensem diebus 5 et 6 mensis Octobris anno 2009 necnon apud dioecesim Crossensem die 7 mensis Octobris anno 2009; quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 9 mensis Iulii anno 2010 est approbata.

Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an mors Servi Dei verum fuisset martyrium. Die 20 mensis Martii 2018, positivo cum exitu, Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 2 mensis Octobris anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei propter suam fidem in Christum et in Ecclesiam interfectum fuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Iacobi Alfredi Miller, Fratris professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

LUCENENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Alfredi Mariae Obviar, Primi Episcopi Lucenensis, Fundatoris Congregationis Missionariarum Catechistarum S. Teresiae a Iesu Infante (1889-1978)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Faciem tuam, Domine, exquiram» (*Ps* 26, 8).

Haec fervens Psalmistae invocatio a Servo Dei Alfredo Maria Obviar electa est ut sententia suo episcopali in stemmate, quae quidem facta est vera ratio totius eius vitae: saepe silenti in oratione hanc sententiam dictitabat eandemque renovabat eucharistica in celebratione, verbi Dei in meditatione et quae denique ductrix optima evasit eius apostolico ministerio exercendo.

Servus Dei in pago v.d. *Lipa* in Philippinis die 29 mensis Augusti anno 1889 est natus. Matre orbatus vix paucis mensibus post ortum suum, cuidam materterae commissus est, quae eum curavit et christiane instituit. Anno 1914 Artium Baccalaureatu ornatus est. Sacerdotalis vitae primis signis vocationis perceptis, seminarium ingressus est et, curriculo studiorum perfecto, die 15 mensis Martii anno 1919 sacro ordine auctus est.

Primum pastorali ministerio parrochi functus est ecclesiae Immaculatae Conceptionis pagi quondam *Luta*, nunc *Malvar*, ubi octo per annos mansit, catechistas instituens ac adultis doctrinam christianam tradens. Anno 1927 parrochus Lipensis ecclesiae cathedralis nominatus est, ibique septem et decem per annos est commoratus, omnibus suis viribus funditus impendens in pastoralem catecheticam necnon instituendo sedes ad catechesim fovendam in finibus paroeciae distributas. Anno 1929 electus est Vicarius Generalis, sua antecedentia munera servando.

Die 11 mensis Martii anno 1944 nominatus est Episcopus Auxiliaris Lipensis et sequenti die 29 mensis Iunii episcopalem ordinationem accepit. Sex post annos missus est, Apostolici Administratoris munere fungens, novam ad dioecesim Lucensem.

Confestim curavit catechistarum institutionem pro rusticis regionibus necnon laicorum, pro quibus novam incitationem praebuit Consociationi "Dominae Nostrae a Monte Carmelo" et Tertio Ordini de Monte Carmelo. Anno 1955 Montis Carmeli Dioecesanum Seminarium fundavit magno cum incremento sacerdotalium vocationum. Anno 1956 in dioecesi excepit Cla-

rissas moniales, quae spiritualitatem sancti Francisci diffunderent. Anno 1972 "Scholam Theologicam Sancti Alfonsi" ad clericorum institutionem fundavit. Una cum matre Mercy A. Medenilla die 12 mensis Augusti anno 1958 fundavit Institutum "Sororum Missionariarum Catechistarum S. Teresiae a Iesu Infante", quod anno 1963 iuris dioecesani et anno 1974 iuris pontificii declaratum est.

Postremis annis eius vitae magna fortitudine sustinuit aegrotationem. Anno 1976 Paulus VI ei petenti abdicationem a dioecesis gubernio satisfecit. Servus Dei se transtulit primum ad *Tayabas* apud domum Missionariarum Catechistarum, quae eum curaverunt, et anno 1978 ad Lucensem clinicam Montis Carmeli ab eo fundata.

Servus Dei toto in itinere suae existentiae vir semper innixus est fide, quae oratione et Eucharistia alebatur generosusque fuit in ministerio erga Deum et erga Ecclesiam. Praecipuum totius eius pastoralis actionis fuit sollecitudo Evangelii praedicandi. Quam ob rem tam simplex sacerdos quam postea etiam episcopus Evangelium nuntiavit, sibi proponens adipisci omnes christifideles, maxime illos qui inferiorum ordinem obtinebant ac rura incolebant, et in hoc institutionem quidem aptorum catechistarum curavit.

Eius spiritualitas super eucharisticam celebrationem ac super Sanctissimi Sacramenti adorationem fundabatur. Pius admodum fuit erga Sacrum Cor Iesu et Nostram Dominam a Monte Carmelo, cuius cultum omnimodo diffudit. Vir fuit spei plenus et navae caritatis maxime in pauperos et aegrotos. Eius caritas re ostenditur in ministerio gratuito erga egeniores, aegrotos, pueros parentibus orbatos et inopes tam ipsomet auctore quam per Institutum Sororum ab eo fundatarum.

Lucensi in clinica, in qua postrema parte suae existentiae receptus erat, Servus Dei die 1 mensis Octobris anno 1978 morte occubuit.

Fama sanctitatis perdurante, a die 28 mensis Maii anno 2004 ad diem 30 mensis Aprilis anno 2005 apud Curiam ecclesiasticam Lucensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 27 mensis Aprilis anno 2007 est approbata. Exarata *Positione,* consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu die 11 mensis Octobris anno 2016 Peculiaris Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 30 mensis Octobris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui,

Servum Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas in modum heroum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Alfredi Mariae Obviar, Primi Episcopi Lucenensis, Fundatoris Congregationis Missionariorum Cathechistarum S. Teresiae a Iesu Infante, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

IANUENSIS SEU PATAVINA SEU TAURINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Mariae Raineri, Clerici professi Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum (1895-1918)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Bene fige tua in mente te esse religiosum virum et primum munus tibi esse in via perfectionis ambulare, ut bonum proximo tuo conficias: ergo omnia alia sunt posthabenda et ad hunc praestantissimum finem disponenda».

Verba haec, ex corde profluxa Servi Dei Aloisii Mariae Raineri, clerici professi Congregationis Regularium S. Pauli, Barnabitarum, primarium studium totius eius vitae explicat. Quod propositum non solum novitii ardore sed etiam constanti exercitio virtutum persecutus est.

Servus Dei, tertius ex octo filiis, die 19 mensis Novembris anno 1895 Augustae Taurinorum ab Henrico Raineri et Angelica Carpignano est natus atque die 24 mensis Novembris baptizatus cum nomine Aloisii Caesaris Pauli. Familia domum popularem habitabat et sola patris mercede se sustentabat, qui operam dabat ut compositor ac corrector multis in sermonibus. Is vir religiosissimus fuit et institutus schola sancti Ioannis Bosco; valuit omnibus communicare austerum sed et dolcissimum fervorem, quam ob rem omnes commovebat et admiratione omnium adficiebatur. Hanc fidei vitam cum muliere sua feliciter participabat. Fructus huius vivendi rationis fuit electio religiosae vitae quinque filiorum, Servo Dei ipso numerato, ex omnibus octo liberis.

Humanissimus et gracilis corpore, Aloisius iam a pueritia ostendit bonum animum, simplicitate et sinceritate candide comi ac confidenti praeditum. Maximi momenti eius vitae fuit Prima Communio, quae Aloisium amplius stimulavit ad pietatem et ad eandem fovendam per diuturnas orationes et devota exercitia uti rosarium vel aedificantes lectiones. Praeterea insevit in eum animi validiorem subtilitatem qui magis magisque amabiliorem ac dociliorem se redidit.

Exemplum cuiusdam patrui et fratrum, qui viam religiosae et sacerdotalis consecrationis vitae ingressi erant, vehemens stimulum ei fuit ad vestigia eorum persequenda. Electio ingrediendi Barnabitarum familiam habita est e fortuito matris eius occursu cum matre barnabiti P. Ioannis

Semeria, qui olim erat clarus praedicator ac orator, magister, scriptor necnon auctor multarum institutionum culturalium et postea etiam navissimus in puerorum parentibus orbatorum assistentia. Quam ob rem die 1 mensis Novembris anno 1908 Servus Dei, duodecimum annum agens, Scholae Apostolicae Barnabitarum apud Ianuensem ecclesiam Sancti Bartholomaei ad Armenos limen intravit. Illic gravitate ac suavitate sua erga omnes, sed praecipue erga debiliores, necnon sua pietate eminuit. Ubicumque laetitiam inveniebat, cuius vestigium suo transitu relinquebat, comites recreans, discordias leniens omnesque circumstantes ad bonum erigens. Eodem tempore adolevit Dei amori fervore adhaerens. In suis manuscriptis notis privatis, dictis *Abscondita cordis*, scripsit: «Ardor, ardor, fiducia in Deum, qui adiuvat Voluntatem eius adimplentes!».

Die 1 mensis Decembris anno 1910 vestem induit postulantis inter Barnabitas et usque ad annum 1913 apud Ianuensem communitatem mansit, quo tempore studia gymnasialia perfecit. Ad instantem duodevicesimum annum aetatis suae, rite postulavit ut ingrederetur Congregationem et die 25 mensis Iulii eiusdem anni Modiciam, apud S. Mariam *al Carrobiolo*, se contulit ut novitiatum incoharet; illic vestem induit nomenque Aloisii Mariae sumpsit. Die 8 mensis Novembris anno 1914 religiosam professionem emisit; sequenti autem die lycealia studia incepit Laudense apud studiorum institutum. Cum autem bellum instaret, ad visitationem pro militiae muneris convocatione est subiectus. Declaratus revisendus, studia sua perrexit et die 18 mensis Septembris anno 1915 minores ordines accepit a Cardinale Archiepiscopo Mediolanensi Beato Andrea Carolo Ferrari; sequenti autem anno, ad visitationem habilis declaratus est, quam ob rem militarem induere debuit vestem castrensemque vitam suscipere.

Valetudinis infirmitate potuit interdum commeatibus frui, sic valuit studia sua porrigere usque ad lycealem licentiam. Postea re vera frontem aciei adeptus est, sed novis commeatibus obtentis, mense Octobri Romae studia theologica incohare potuit. Destinatus est septuagesimae quartae Barderatensi legioni peditum, attigit Montem Grapam ubi brevi tempore mansit, enim cito destinatus est Cursui Mydribalariorum *FIAT* Brixiae.

In Aloisio Maria Raineri nihil est miri vel extraordinarii nisi constans ac serena et quidem laeta progressio usque ad mortem in via virtutis et sanctitatis, plene consentiens scriptis a se collectis, scilicet: «Non opus est semper in exstasim rapi, sed opus est tantum paululo bonae voluntatis,

paululo fidelitatis ut sua quaeque consentanea perficiantur ... et ne minima quidem negligendo inter praescripta pietatis exercitia ...». Non defuerunt ei difficultates, quas superare valuit firma ac prompta voluntate, Dei gratia confirmata, tam familiarem vitam agens quam sicut alumnus seminarium minus frequentans et ut clericus agens sed maxime militans.

Coluit et ostendit semper extraordinarium donum scilicet laetitiam, quae aperiebat conscientiam muneris, delectationem suae vocationis, suae vitae quam exigebat et exemplaris quod ipsummet collustrabat; donum quod relucebat in pace et in vultus serenitate tam in studio quam in ludo sicut etiam in officio suo et in muneribus fungendis, quod tamen fructus erat diuturnae adeptionis perfectionis operae suo in animo, qui, magna fide ac constanti spe suffultus, simplici ac essentiali caritate prodibat.

Cum die 14 mensis Novembris anno 1918 ad frontem aciei rediret, quamvis bellum fere compositum esset, Aloisius die 20 mensis Novembris apud valetudinarium castrense pagi Crespani ob vehementem peripneumoniam receptus est, quae ad mortem die 24 mensis Novembris anno 1918 eum perduxit. Corpus eius militari in coemeterio Crespani humatum est, postea cum eius sanctitatis fama diffunderetur, ad Hastam translatum est et denique in Ianuensem ecclesiam Iesu Adulescentis.

Propter famam sanctitatis, die 1 mensis Octobris anno 1959 apud Curiam ecclesiaticam Ianuensem Processus Informativus incepit, una cum Florentiae et Bethleem Brasiliae Rogatorialium Inquisitionum celebratione, qui die 21 mensis Decembris anno 1962 est confectus. Horum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 6 mensis Maii anno 1988 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Felici cum exitu die 19 mensis Aprilis anno 2018 Peculiaris Congressus Theogorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei 7 mensis Novembris anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tem-*

perantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Aloisii Mariae Raineri, Clerici professi Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

AQUENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Leonardae a Iesu Crucifixo (in saeculo: Angelae Mariae Boidi), Monialis professae Congregationis Sororum a Passione Iesu Christi (1908-1953)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Divina Providentia ad quam nos convertimus filiali demissione ac fiducia, nobis obviam venit, dixerim, miris in modis: [...] Communitas magis nititur spiritu fidei, magis intenta ad solum necessarium, magis simplex quoad oboedientiam, minus mundanis impedimentis onerata, quae maiore fiducia divinae Providentiae confidit».

Mulier certissimae fidei, Serva Dei Leonarda a Iesu Crucifixo suam vitam et suarum consororum Dei benevolentiae commendavit. Evangelii verba referens monialibus ad mentem revocabat quod homini non decet opprimi a sollicitudinibus quoad cibum, vestimenta vel alia bona materialia sed maxime debet se demittere in paterna brachia Dei, quia ipse omnia providebit.

Serva Dei in pago dicto Quadringento, iuxta Alexandriam Statiellorum, die 10 mensis Iulii anno 1908 a Philippo et Antonia Bruno nata est. Die baptismatis nomina accepit Angelam Mariam. Parentes eius Pedemontano ex medio genere rurali erant magnaque praedia administrabant. Angela Maria prospere crevit familiaribus in adiunctis ductis firmissimis christianis principibus et in adulescentia instituta est in fide a spiritali moderatore necnon confessario Petro Damiano Civera. Anno 1920 adfuit scholae ad fovendam Actionem Catholicam Alexandriae Statiellorum et se adscripsit iuventuti mulierum una cum sorore sua Carola, quae eam in monasterio praecessit.

Die 2 mensis Iulii anno 1931, victis patris obsistentiis, qui filiam suam voluisset in matrimonio locare, Angela Maria monasterium Congregationis Sororum a Passione Iesu Christi Uvaldae ingressa est. Anno 1932 nomine Leonardae a Iesu Crucifixo vestem religiosam induit et anno 1936 perpetuam religiosam professionem emisit.

In monasterio soror Leonarda omnibus monialibus exemplar cito evenit. Consorores sua immensa fide in divinam Providentiam fulciebat, consulebat et monebat; multas quidem epistulas conscribebat personis qui in mundo erant et cum quibus consuetudinem adhuc habebat. Ab anno 1941 ad annum 1947 munere vicariae functa est et ab anno 1947 ad annum 1953 monasterii Superiorissae.

Ad multa opera efficienda vim et instrumenta hauriebat sua ex profundissima fide, constituens coetum beneficorum hominum, qui comitabantur ac favebant monasterii vitae. Fama huius singularis mulieris extra monasterii moenia diffusa est eo ut eius memoria maneret in multis puellis Uvaldae spiritualia exercitia participantibus. Memoria eius permanebat quoque in matribus familias, in sacerdotibus, in religiosis et in omnibus qui adscendebant ad monasterium ut invenirent quandam cui tribulationes, dolores committerent, solaminis autem verba, consilia et confirmationes necnon memoriam singularem in oratione secum reducerent.

Mater Leonarda ad sacramenta crebrissime accedebat, super omnia eucharisticum mysterium ponens et in omnibus a spiritu fidei ac amoris exardentium ducta.

Sensum cohaesionis Ecclesiae, iam fortem in inventute, et operibus Actionis Catholicae demonstratum, suis consororibus tradidit ut et in eis valeret desiderium absolutae oblationis in Deum, in Ecclesia et pro Ecclesia. Mater Leonarda in se expressit charisma illud sancti Pauli a Cruce, quod super crucem omnia fundabat; hoc charisma autem eam impellebat ad sui ipsius oblationem sine mora adque diligentem operam pro animarum sacerdotum sanctificatione.

Mulier fuit magnae spei in vitam aeternam cum Deo et, hanc ob rem, laeto animo mundi aerumnas toleravit. Ei pati fuit naturalis consequentia huius vitae electionis quia unumquodque momentum huius existentiae est amoris supremus actus. Cubare in culcita, ieiunium servare, surgere in media nocte ad orationem extollendam, laneum grave sagum induere etiam in media aestate vel hieme incedere nudis pedibus; haec omnes iacturae secundum regulam sancti Pauli a Cruce et regimen claustrale erant omnes oblationes pro hominum salute.

Eius fragilis valetudo saepe eam in lecto manere et aliquo tempore degere iuxta coenobium Passionistarum vitae activae in pago v.d. *Verezzo*, prope Remopolim, cogebat ut melius valeret. Autumnali tempore anni 1953 valetudo in peius ruit et rursus deducta est ad Alexandriam Statiellorum ut medicae inquisitiones adhiberentur una cum curis. In monasterium suum umquam rediit. Medici enim in Matre anginae pectoris morbum invenerunt. Post plurimos morbi incursus aestuosissimis febribus comitatos inter acerrimos dolores sed semper dulci suo risu in vultu Mater Leonarda Deo animam suam die 22 mensis Octobris anno 1953 reddidit.

Considerata firma ac diffusa fama sanctitatis, quae iam in vita et deinde post mortem augebatur, apud Curiam ecclesiasticam Aquensem a die 15 mensis Maii anno 2003 ad diem 22 mensis Octobris eiusdem anni Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 9 mensis Decembris anno 2005 est approbata. Parata *Positione* consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes exercuisset. Fausto cum exitu, die 8 mensis Maii anno 2018, Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est; Patres Cardinales et Episcopi autem die 4 mensis Decembris anno 2018 in Ordinaria Sessione congregati cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales et adnexas exercuisse professi sunt. Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Leonardae a Iesu Crucifixo (in saeculo: Angelae Mariae Boidi) Monialis Professae Congregationis Sororum a Passione Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

LAUSANNENSIS - GENEVENSIS - FRIBURGENSIS

Canonizationis Beatae Margaritae Bays, Virginis e Tertio Ordine Sancti Francisci Assisiensis (1815-1879)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata die 8 mensis Septembris anno 1815 in oppidulo v.d. *La Pierraz*, pagi *Siviriez* in Helvetica Friburgensi regione ex modesta agricolarum familia christianos mores bene observanti, nata est. Vivax et singulari intelligentia praedita, legere ac scribere didicit et iam a pueritia praecipuam ad precationem propensionem ostendit. Sartricis artem tirocinio didicit, quam totam per vitam feliciter exercuit.

Innupta sua in familia vixit et in eadem quibusdam contentionibus laboravit, quas summa caritate tulit. Apostolica navitate inter pueros operam dedit, eos doctrinam docens, eosdem aptos vitae mores et religiosam pietatem instituendo summaque cura iuvenes mulieres ad futuram condicionem sponsae et matris instituit. Aegrotis ac moribundis adsidebat, pauperes, qui ab ea dicebantur Dei dilectissimi, adiuvabat; in paroecia operas missionarias introduxit et catholicae publicationi favit per periodicos libellos. Eius vita dolore funditus est mutata et in perpetuum cum Christo crucifixo coniuncta, quae in corpore et in spiritu Iesu dolorum memoriam adeo excitaverat ut in corpore crucifixionis quinque stigmata ostenderet. Suum secundum desiderium in Sacri Cordis die festo 27 mensis Iunii anno 1879 mortua est eamque Summus Pontifex Sanctus Ioannes Paulus II anno 1995 in Beatorum numerum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam puellulae viginti duorum mensium sospitatem subiecit, quae rustici automati tractorii rota omnino erat calcata. Res accidit Helvetico in pago v.d. *Siviriez* die 6 mensis Martii anno 1998. Puellula inter sororis crura, quae avi vice automatum tractorium agebat, commorabatur. Cum soror de via ad sinistram deflectere putaret, ab avo, qui automatum tractorium sequebatur ut ultimos palos ad nivem designandam collocatos tolleret, petivit an deflectere potuisset. Cum affirmative responderet avus, dum automatum tractorium ad

sinistram verteret, puellula cecidit et a automati tractorii rota prorsus est calcata.

Avus cito accucurrit sed nihil aliud conspicere potuit nisi quod puellula tota sub rota interivit. Avus neptis corpusculum levans, eam invenit inertem et cum brachiis et capite impendentibus. Cum autem avus inclamaret nepoti, quae automatum tractorium ducebat, puellula flere inchoavit. Avi primum propositum fuit Beatae Margaritae Bays gratias extemplo agere, quam cotidie ad nepotum tutelam invocabat et cuius Beatae domi, omni die Veneris, rosarii precationi intererat. Avus proxime intuens parvam puellam observavit quod genua nepotis e contactu cum solo signata est itemque thoraciculum automati tractorii rotis signatum est. Ad valetudinarium puellula deducta est ibique nullum detrimentum tam intus quam extra compertum est. Puellula deinceps omnino sana fuit.

De hac sospitate, mira aestimata, iuxta Curiam Ecclesiasticam Lausannensem-Genevensem-Friburgensem a die 23 mensis Octobris anno 2005 ad diem 27 mensis Maii anno 2014 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 1 mensis Octobris anno 2015 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 12 mensis Aprilis anno 2018 declaravit sospitatem ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 11 mensis Octobris anno 2018 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum. Die autem 8 mensis Ianuarii anno 2019 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Becciu praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Margaritae Bays, Virginis e Tertio Ordine Sancti Francisci Assisiensis, videlicet de sospitate sine exitibus puellulae viginti et duorum mensium aetate, a rustici automati tractorii rotae compressione".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Ianuarii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BIRMINGHAMIENSIS

Canonizationis Beati Ioannis Henrici Newman, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Fundatoris Oratoriorum Sancti Philippi Neri in Anglia (1801-1890)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Ioannes Henricus Newman Londinii die 21 mensis Februarii anno 1801 ex familia Anglicana confessione est natus. Expleto studiorum curriculo apud Oxoniensem Universitatem, pastor Anglicanus factus est, cum pastorali munere studentibus universitatis adsidendi. Hoc in opere *Motum Oxoniensem* fundavit, ut religioso augescenti liberalismo obsisteret, qui suis cum fortibus doctrinis rationalisticis in Anglicis universitatibus diffundebatur. Pastor ac theologus moderatus adeo evasit ut praestantissimus inter Anglicanos Ecclesiae Catholicae magis adhaerens existimaretur, in quam, post attentam cogitationem ac ope diligentissimi pristinae Ecclesiae originis studii, recipi postulavit. Anno 1847 sacro ordine auctus est. Captus a figura Sancti Philippi Neri, Congregationem Oratorii suis in finibus condidit. Catholicae Dublinensis Universitatis factus est rector et, cum rediit in Angliam, studia sua perrexit numquam suum pastorale munus negligens. Summus Pontifex Leo XIII, cum eius singularissimas humanas ac spirituales virtutes valde existimavisset eum cardinalitia dignitate insignivit. Beatus, refecta animi alacritate, actionem in patria perrexit ad maturitatem perducens suam philosophicam ac theologicam doctrinam, quam in tractatibus et in litterarum monumentis magni momenti expressit. Die 11 mensis Augusti anno 1890 in vico v.d. *Edgbaston* apud Birmingamiam morte occubuit. Anno 2010 Summus Pontifex Benedictus XVI in numerum Beatorum eum adscripsit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio huic Congregationis de Causis Sanctorum iudicio quandam miram mulieris sanationem subiecit, quae in oppido v.d. *Elmhurst* prope Chicagiam evenit. Quaedam mulier, trigesimum sextum annum aetatis suae agens, iam mater quattuor filiorum, occurente nova graviditate, incepit copiose sanguinem profundere, fortibusque spasmatibus ac nausea laborando. Res incepit ostendi mense Aprili anno 2013. Ex gynaecologi inspectione et ex ulterioribus clinicis inquisi-

tionibus comperta est laceratio textus placentaris una cum haematomate subcorionico. Hanc ob rem ei mandatum est temporis intervallum maximi requietis, cui tamen ea nequivit obtemperare ob nimiam aliorum filiorum et mariti sollicitam curam. Die 15 mensis Maii domi commorans, percepit haemorrhagiam augeri, graviter timuit ne non filium amisisset, etiam quia antea duos abortus naturaliter passa est: hanc ob rem, gravem formidinem etiam quoad suam valetudinem ostentavit.

Hinc suam invocationem ad Dominum direxit, per intercessionem Beati erga quem magnam devotionem a longe servaverat, petivit enim ut ab iis malis sanaretur et ut filium, quem in gremio gestabat, feliciter ederet. Statim haemorrhagia, quae reprimi videbatur non posse, constitit ac mulier cito in bona valetudine reconstitutam se habuit et simul rosarum fragrantiam circa se praesensit. Graviditate matura, puellula omnino sana edita est.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beati invocationem et mulieris sanationem felicemque partus exitum.

De hac sanatione mira aestimata apud Curiam Archiepiscopalem Chicagiensem a die 22 mensis Iunii anno 2015 ad diem 26 mensis Octobris anno 2016 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 11 mensis Martii anno 2017 est approbata. Huius Dicasterii Medicorum Consilium in sessione diei 2 mensis Martii anno 2018 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 11 mensis Octobris anno 2018 actus est Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus, positivo cum exitu. Die 15 mensis Ianuarii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione se congregaverunt, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierna die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Ioannis Henrici Newman, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, Fundatoris Oratoriorum Sancti Philippi Neri in Anglia, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam mulieris a "copiosa emorragia addominale e sospetto travaglio abortivo".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Februarii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

IRINIALAKUDENSIS

Canonizationis Beatae Mariae Teresiae Chiramel Mankidiyan, Fundatricis Congregationis Sororum a Sacra Familia (1876-1926)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Maria Teresia Chiramel Mankidiyan in *Puthenchira* Hindico in statu Kerala die 26 mensis Aprilis anno 1876 e nobili sed prolapsa familia nata est. A matre christianis principiis instituta, iam a pueritia Domino se consecravit et se tradidit in infirmorum et moribundorum curam. Una cum tribus amicis operam dedit paroecialibus in ecclesia muneribus familias visitando et sustinendo egeniores, pueros parentibus orbatos et graves aegrotos lepra ac variolis quidem laborantes. Suo in ambitu sociali cognovit difficultates et invidias ob culturalia praeiudicia.

Suo flagranti spirituali itinere mysticas habuit experientias et extraordinaria cognovit phaenomena; singulari modo participatio misterii Crucis ostendebatur etiam per dolorum crucifixionis et stigmatum experientiam. Ab Episcopo indultum habuit ut Congregationem Sororum a Sacra Familia fundaret, cuius christiana institutio iuvenum mulierum, visitatio ac assistentia aegrotorum maxime graviorum et moribundorum in familiis, auxilium egeniorum et a sociali vita hominum exclusorum, precatio et meditatio praecipua erant munera.

Mater Teresia Congregationem per duodecim annos rexit, novitias magno amore instituens, tria nova coenobia, duas scholas, duos convictus, unam domum ad studia sustinenda et denique unum orphanotrophium fundavit. Cum vulnus accepisset, apud *Kuzhikkuttassery* die 8 mensis Iunii anno 1926 mortua est.

Summus Pontifex Sanctus Ioannes Paulus II, cum Magnum Iubileum anni MM celebraretur, eam in Beatorum numero rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam pueri nuper nati sanationem subiecit. Res *Thrissur* in Hindia anno 2009 evenit.

Puer tertio loco ex operatione caesarea genitus est. Graviditas nullam fere difficultatem ostendit sed in partu puer respiratione et corde admodum laborabat et pectus more insolito protendebatur. Quamvis cito aptae curatio-

nes adhibitae essent, eius valetudo in peius mutabat. Illis exitialibus adiunctis pueri parentes tempori fere cesserunt, sed avia pueri Beatae valde devota spem non amisit et sorori aegrotorum ministrae parvam Mariae Teresiae reliquiam commisit ut eandem collocaret apud puerum iam moribundum.

Interea avia suam precationem intendit Domino, nepotis sanationem invocans per Beatae intercessionem. Idem etiam alii familiares egerunt, qui, gravi morbo incepto, statim novenam Fundatrici precati erant. Post fere dimidiam horam repentina mutatio pueri valetudinis conspecta est. Puer sine difficultate spiritum ducere valebat. Post quasdam dies parvus puer e valetudinario demissus est et medicae inquisitiones sequentibus annis nullam invenerunt mendam eius in valetudine.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beatae invocationem et pueri sanationem, qui deinceps naturali socialique vita pollens, sanus vixit.

De hac sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam Ecclesiasticam Trichuriensem a die 10 mensis Maii ad diem 9 mensis Iulii anno 2013 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 24 mensis Ianuarii anno 2014 est approbata.

Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 22 mensis Martii anno 2018 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 18 mensis Octobris anno 2018 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum. Die autem 5 mensis Februarii anno 2019 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Becciu praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Mariae Teresiae Chiramel Mankidiyan, Fundatricis Congregationis Sororum a Sacra Familia, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam pueri a "distress respiratorio grave in neonato moderatamente pretermine".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Februarii a.D. 2019.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI SALVATORIS IN BRASILIA

Canonizationis Beatae Dulcis Lopes Pontes (in saeculo: Mariae Ritae), Sororis professae Congregationis Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione Matris Dei (1914-1992)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Dulcis Lopes Pontes (in saeculo: Maria Rita) die 26 mensis Maii anno 1914 in civitate Sancti Salvatoris in Brasilia nata est. Iam a pueritia sua magna humanitate erga pauperes et egenos eminuit.

Expleto educationis secundariae curriculo, religiosam vitam ingressa est apud Congregationem Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione Matris Dei, cum Ordine Fratrum Minorum consociatam; in ea postea munere aegrotorum ministrae et magistrae functa est.

Vehementi missionario amore impulsa, in operariorum institutionem omnino se tradidit, sed praecipue in assistentia et cura ultimorum et dolentium suum generosum ministerium explicavit.

Soror Dulcis potuit suam operam caritatis amplius perficere per institutionem sodalitii operum socialium et per cuiusdam aedificationem egenorum deversorii dicti *"Albergue Santo Antônio"*. Verae matris teneraque caritas eius fuit, et ex spirituali animae experientia vim et opes traxit ut extraordinariam ministerii operam pro pauperibus navaret.

Extremis vitae mensibus Beata morbo laboravit, quem serenitate sustinuit. Die 13 mensis Martii anno 1992 in civitate Sancti Salvatoris in Brasilia sanctitatis fama circumdata morte occubuit. Die 22 mensis Maii anno 2011 Summus Pontifex Benedictus XVI eam in numero Beatorum retulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio studio ac iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sanationem, intercessioni Beatae tributam, subiecit. Res die 10 mensis Decembris anno 2014 *Recifi,* in Pernambuci statu, in Brasilia accidit et ad oculi alicuius hominis quadraginta annorum videndi facultatis restitutionem pertinuit.

Anno 1991 huic viro, vigesimum quartum annum aetatis agenti, oculorum pressionis nimis altae glaucomatis causa diagnosis facta est, hanc ob rem collyriorum medicamentorum therapia ei praescripta est, quae tamen is inconstanter usque ad annum 1999 adhibuit. Ab anno 2000 ad annum 2014

vir immutabilem ostendebat caecitatem utriusque oculi, ob quam ei opus erat tam cane comite quam caecorum baculo; illo ipso tempore scripturam *Braille* didicit.

Anno 2014 ob gravem ac dolentem lippitudinem infectivam utriusque oculi, vir medicatus est aptis medicamentis et a multis medicis examinatus est. Nocte diei 10 mensis Decembris, acribus doloribus laborans parvum simulacrum Beatae Dulcis, cui devotissimus iam a iuventute erat, accepit idemque super oculo dextero posuit, invocans et cum fide precans Beatam ut dolori mederetur. Aegrotus repente beneficium percepit, adeo ut somnum capere posset. Mane sequentis diei ipse conscius fuit aliquid accidisse, quia manum suam et, primum post multos annos, uxoris suae vultum conspicere potuit. Ergo repente ex uno die oculi dexteri facultatem recuperavit quam ob rem ad suam pristinam industriam rediit, recuperans suam libertatem in agendo, usum tam baculi quam canis comitatum deponens.

De hac sanatione, mira aestimata, iuxta Curiam Ecclesiasticam Olindensem et Recifensem in Brasilia a die 30 mensis Ianuarii anno 2017 ad diem 20 mensis Maii eiusdem anni Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 3 mensis Novembris anno 2017 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in Sessione diei 10 mensis Ianuarii anno 2019 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse.

Die 21 mensis Martii anno 2019 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum. Die autem 7 mensis Maii anno 2019 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Becciu praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Dulcis Lopes Pontes, Sororis professae Congregationis Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione Matris Dei, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam viri a "cecità occhio destro da atrofia ottica per glaucoma terminale".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Maii a.D. 2019.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Canonizationis Beatae Iosephinae Vannini (in saeculo: Iudithae Adelaidis Agathae), Fundatricis Filiarum Sancti Camilli (1859-1911)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Iosephina Vannini (in saeculo: Iuditha Adelaidis Agatha) Romae die 7 mensis Iulii anno 1859 nata est. Septem annorum nata, parentibus orbata apud Conservatorium Torlonia recepta est. Vigesimo primo anno aetatis Filiarum a Caritate vestem induit et Senensem novitiatum ingressa est, sed quattuor post annos valetudinis causa est demota.

Anno 1891 occurrit camillino Patri Aloisio Tezza, cum spiritualia exercitia attenderet. Iuditha eidem suam vitae narravit historiam, suam adversam fortunam in experimentum vocationis sed et suum ardens desiderium Domino se consecrandi. Pater Aloisius eam diligentissime auscultavit et ei suum desiderium instituendi quandam novam congregationem sororum secundum spiritum Sancti Camilli de Lellis communicavit.

Iuditha postquam precata erat, Dei voluntatem super se intellexit et ad Patris Tezza arbitrium se accomodavit ut propositum assequeretur. Die 2 mensis Februarii anno 1892 ei commissum est scapulare Sororum Tertii Ordinis Sancti Camilli, quod rubra cruce exornabatur. Die autem 19 sequentis mensis Iuditha religiosam induit vestem nomenque religiosum Mariae Iosephinae ei inditum est. Die 8 mensis Decembris anno 1895 perpetua vota emisit Superiorissaque novi Instituti electa est, quod erat Filiarum Sancti Camilli, quodque anno 1909 auctoritate dioecesana et anno 1931 auctoritate pontificia est approbatum.

Mater Iosephina munere Superiorissae Generalis usque ad mortem functa est, quae die 23 mensis Februarii anno 1911 evenit. Die 16 mensis Octobris anno 1994 Summus Pontifex Sanctus Ioannes Paulus II eam in numero Beatorum retulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam salvationem operarii subiecit, qui in fossam pegmatis scansorii summa altitudine ceciderat sine ullo detrimento in corpore vel in psichico ambitu. Res anno 2007 in pago v.d. *Sinop* in Brasilia accidit.

Die 19 mensis Februarii illius anni, dum operam daret in opificio aedificatorio novae domus ad senes excipiendos quae quidem nomen Matris Vannini esset acceptura, aequilibrio laboravit et in fossam pegmatis scansorii per altitudinem 10,80 metrorum cecidit. Cum caderet, Beatam Vannini invocavit dicens: "Mater mea, mihi succurre". Operarius statim auxilium habuit, omnino sui compos, nullum ex lapsu detrimentum habuit, praeter parvum vulnus sinistro in labro inferiori. Deductus est ad valetudinarium contra eius voluntatem, ibique radiologicis instrumentis exploratus est. Cum instrumenta absentiam cuiusvis damni repperissent, statim demissus est, simplici cum praescriptione analgesica. Post tres dies ad operam suam rediit. Sequentes medicae investigationes eius valetudinem naturae convenienter sine ulla iactura ex praegresso casu anni 2007 confirmaverunt.

De hoc casu, miro aestimato, iuxta Curiam Ecclesiasticam Sinopensem a die 1 ad diem 4 mensis Decembris anno 2015 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 27 mensis Maii anno 2016 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 27 mensis Septembris anno 2018 cuiusvis damni absentiam, praeter aliquas cutis lacerationes comperit; idque, quoad factum, ex scientiae legibus inexplicabile fuisse censuit.

Die 19 mensis Februarii anno 2019 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum. Die autem 7 mensis Maii anno 2019 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Becciu praesidente.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Iosephinae Vannini (in saeculo: Iudithae Adelaidis Agathae), Fundatricis Filiarum Sancti Camilli, videlicet de salutis integritate cuiusdam hominis a "qualsivoglia significativa lesività sia somatica sia psichica, necessariamente attese in un caso di precipitazione dall'altezza di mt 10,80".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Maii a.D. 2019.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

VALLEDUPARENSIS

De Episcopalis Cathedrae translatione et Ecclesiae Cathedralis erectione.

DECRETUM

Exc.mus P.D. Ansgarius Iosephus Vélez Isaza, C.M.F., Episcopus Valleduparensis, ab Apostolica Sede enixe postulavit ut, ad aptius tutiusque animarum bono consulendum, cum effectu a die 24 mensis Augustii 2019, Cathedralis titulus templi «*Nuestra Señora del Rosario*» dicati, in civitate vulgo «*Valledupar*» constituti, exstingueretur et templum in eadem civitate situm Deo in honorem «*Eccehomo*» dicatum ad gradum ac dignitatem Ecclesiae Cathedralis eiusdem dioecesis eveheretur.

Summus Pontifex Franciscus, Divina Providentia PP., praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Aloisii Mariani Montemayor, Archiepiscopi titularis Illicitani et in Columbia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis preces ad Se admotas, Sanctae Matris Ecclesiae profectum ac animarum salutem prae oculis habens excipiendas statuit.

Quapropter, Idem Summus Pontifex, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, cum effectu a die 24 mensis Augustii 2019, Cathedralis titulus templi «Nuestra Señora del Rosario» exstinguit et memoratum templum «*Eccehomo*», ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis dioecesis Valleduparensis evehit, collatis simul omnibus praerogativis, iuribus et privilegiis quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae, ad normam iuris, fruuntur.

Ad haec perficienda, deputat memoratum Exc.mum P.D. Aloisium Marianum Montemayor, Archiepiscopum titularem Illicitanum et in Columbia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Iulii, anno 2019.

Marcus Card. Ouellet
Praefectus

L. ✠ S.

Udo Breitbach
Subsecretis

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 5 Octobris 2019. — Metropolitanae Ecclesiae Mercedensi-Luianensi Exc.mum P.D. Georgium Eduardum Scheinig, hactenus Episcopum titularem Itensem et Auxiliarem in eadem archidioecesi.

die 7 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Sinus Tortuosi Exc.mum P.D. Antonium Randazzo, hactenus Episcopum titularem Quiziensem et Auxiliarem archidioecesis Sydneyensis.

— Cathedrali Ecclesiae Riviangulanensi-Labradorensi Exc.mum P.D. Bartholomaeum Van Roijen, e clero Nelsonensi, ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 8 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Helenensi R.D. Augustinum Vetter, e clero dioecesis Bismarckiensis, hactenus ibique Cathedralis Sancti Spiritus Curionem.

die 9 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Victoriensi de Conquista Exc. mum P.D. Iosaphat Menezes da Silva, hactenus Episcopum Barreriensem.

die 10 Octobris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Cemerinianensi R.D. Edmundum J. Whalen, e clero archidioecesis Neo-Eboracensis, ibique Vicarium Episcopalem pro Clericis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Herdonitanae R.D. Gerardum J. Colacicco, e clero archidioecesis Neo-Eboracensis, ibique hactenus Curionem paroeciae Sancti Ioseph et Immaculatae Conceptionis in oppido v.d. Millbrook, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 11 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Tariiensi Exc.mum P.D. Georgium Angelum Saldía Pedraza, O.P., hactenus Episcopum titularem Phelbesianum et Auxiliarem archidioecesis Pacensis in Bolivia.

die 15 Octobris 2019. — Cathedrali Ecclesiae Sorsogonensi R.D. Iosephum Alanum V. Dialogo, e clero archidioecesis Manilensis, hactenus ibique Cardinalis Sin Hospitii Rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Ioannis Canadensis Exc.mum P.D. Christianum Riesbeck, C.C., hactenus Episcopum titularem Tipasensem in Numidia et Auxiliarem archidioecesis metropolitanae Ottaviensis.

— Metropolitanae Ecclesie Neo-Pampilonensi Exc.mum P.D. Georgium Albertum Ossa Soto, hactenus Episcopum Sanctae Rosae de Osos.

die 16 Octobris. — Episcopum Coadiutorem Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis in Argentina Exc.mum P.D. Iosephum Meliton Chávez, hactenus Episcopum Anatuyanensem.

die 18 Octobris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Bagaiensi R.P. Davidem Israëlem de la Torre Altamirano, SS.CC., Parochum in eadem archidioecesi, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Quitensis.

— Ecclesiae Metropolitanae Tuguegaraoanae Exc.mum P.D. Richardum L. Baccay, hactenus Episcopum Alaminensem.

die 19 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Machiquesensi R.D. Nicolaum Gregorium Nava Rojas, e clero dioecesis Cabimensis, hactenus ibique Vicarium Generalem et Parochum.

die 30 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Leopoldinensi Exc.mum P.D. Edson Iosephum Oriolo Dos Santos, hactenus Episcopum titularem Segiensem et Auxiliarem archidioecesis Bellohorizontinae.

die 31 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Loianae Exc.mum P.D. Valtherum Jeová Heras Segarra, O.F.M., hactenus Episcopum titularem Vazaritanum et Vicarium Apostolicum Zamorensem in Aequatoria.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in udienza in occasione della presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 5 ottobre, S.E. il Signor Jakob Štunf, Ambasciatore di Slovenia.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Sabato, 5 ottobre, S.E. il Signor Donald Tusk, Presidente del Consiglio Europeo.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

7 ottobre 2019 S.E.R. Mons. Alberto Ortega Martín, Arcivescovo tit. di Midila, finora Nunzio Apostolico in Giordania e in Iraq, *Nunzio Apostolico in Cile*.

11 » » S.E.R. Mons. Giampiero Gloder, Arcivescovo tit. di Telde, finora Presidente della Pontificia Accademia Ecclesiastica, *Nunzio Apostolico in Cuba.*

» » » S.E.R. Mons Joseph Marino, Arcivescovo tit. di Natchitoches, finora Nunzio Apostolico in Malaysia e in Timor Orientale e Delegato Apostolico in Brunei, *Presidente della Pontificia Accademia Ecclesiastica.*

28 » » S.E.R. Mons. Paolo Borgia, Arcivescovo tit. di Milazzo, *Nunzio Apostolico in Costa D'Avorio*.

31 » » S.E.R. Mons. Antoine Camilleri, Arcivescovo tit. di Skálholt, *Nunzio Apostolico in Etiopia e Gibuti e Delegato Apostolico in Somalia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

8 ottobre 2019 L'Ill.ma Prof.ssa Frances Hamilton Arnold (Stati Uniti d'America), docente di Ingegneria Chimica, Bioingegneria e Biochimica presso il *California Institute of Technology* di Pasadena, insignita nel 2018 del Premio Nobel per la Chimica per i lavori su enzimi, peptidi e anticorpi, *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze.*

10 » » Il Rev.do Sac. Riccardo Battocchio, del Clero della Diocesi di Padova, Vice-Preside della Facoltà Teologica del Triveneto, *Rettore dell'Almo Collegio Capranica*.

14 » » L'Ill.mo Dott. Jean-Marie Montel, Direttore Generale aggiunto del Gruppo Editoriale *Bayard* e Presidente della *Fédération des Médias Catholiques* (Francia), *Consultore del Dicastero per la Comunicazione « ad quinquennium ».*

15 » » L'Ill.mo Ing. Gianluca Gauzzi Broccoletti, finora Vice Direttore e Vice Comandante, *Direttore della Direzione dei Servizi di Sicurezza e Protezione Civile dello Stato della Città del Vaticano e Comandante del Corpo della Gendarmeria « ad quinquennium ».*

23 » » L'Ill.mo Dott. Davide Giulietti, finora Dirigente del Corpo della Gendarmeria dello Stato della Città del Vaticano,

Vice Direttore della Direzione dei Servizi di Sicurezza e Protezione Civile e Vice Comandante del medesimo Corpo della Gendarmeria dello Stato della Città del Vaticano «ad quinquennium».

24 ottobre 2019 Il Rev.do Mons. Luigi Roberto Cona, Consigliere della Nunziatura Apostolica in Italia, *Assessore per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.*

» » » Il Rev.do Mons. Mirosław Stanisław Wachowski, Consigliere di Nunziatura presso la Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, *Sotto-Segretario della medesima Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato.*

NECROLOGIO

8	ottobre	2019	Sua Em.za il Card. Serafim Fernandes de Araújo, del Titolo di S. Luigi Maria Grignion de Montfort, Arcivescovo em. di Belo Horizonte (*Brasile*).
9	»	»	Mons. Thomas Joseph Flanagan, Vescovo tit. di Bavagaliana, già Ausiliare di San Antonio (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. John Baptist Sequeira, Vescovo em. di Chikmagalur (*India*).
10	»	»	Mons. Dominic Jala, S.D.B., Arcivescovo di Shillong (*India*).
13	»	»	Mons. Elias James Manning, O.F.M. Conv., Vescovo em. di Valença (*Brasile*).
17	»	»	Mons. Michael George Bowen, Arcivescovo em. di Southwark (*Gran Bretagna*).
20	»	»	Mons. Gonzalo de Jesús Rivera Gómez, Vescovo tit. di Bennefa, già Ausiliare di Medellín (*Colombia*).
21	»	»	Mons. Brian Michael Noble, Vescovo em. di Shrewsbury (*Gran Bretagna*).
»	»	»	Mons. Camille Zaidan, Arcivescovo di Antélias dei Maroniti (*Libano*).
22	»	»	Mons. Dorylas Moreau, Vescovo em. di Rouyn-Noranda (*Canada*).
23	»	»	Mons. José Demetrio Jiménez Sánchez-Mariscal, O.S.A., Vescovo Prelato di Cafayate (*Argentina*).
28	»	»	Mons. Jean-Gabriel Diarra, Vescovo di San (*Mali*).
29	»	»	Mons. Richard Gerard Lennon, Vescovo em. di Cleveland (*Stati Uniti d'America*).
30	»	»	Mons. Francis Xavier Irwin, Vescovo tit. Di Ubaza, già Ausiliare di Boston (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Ercílio Turco, Vescovo em. di Osasco (*Brasile*).
31	»	»	Mons. Roger Paul Morin, Vescovo em. di Biloxi (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Silvio Padoin, Vescovo em. di Pozzuoli (*Italia*).
1	novembre	»	Mons. Daniel Joseph Mullins, Vescovo em. di Menevia (*Gran Bretagna*).
»	»	»	Mons. Miguel Olaortúa Laspra, O.S.A., Vescovo tit. di Abbir maggiore, Vicario Apostolico di Iquitos (*Perú*).